UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis, quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, & praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque obeundi

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

urn:nbn:de:hbz:466:1-50863

Visual Library

Th. 2960.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HOROLOGIVM
Sacerdotale.

Die Zeit
Sancti estote
in omnibus operibus
vestris Fratelleuis esto
estote perfecti
Lenvel-Cause sculp.

HOROLOGIVM SACERDOTALE

Sacerdotibus tam Ecclesiasticis, quàm Religiosis, præsertim Neomystis

Ordinem diei, & praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque obeundi.

Concinnatum à

R.P. JOANNE DIRCKINCK S.J.

COLONIÆ

Typis JODOCI HENRICI KRAMER
iante S. Paulum sub signo Arboris 1690.

Cum Privilegio Cæsareo, & Approbat. Superiorum.

Soc. Jesv

Reverendissimo & Celsissimo Domino,
D. JODOCO EDMUNDO
S. R. I. Principi, Hildesiensi
EPISCOPO, &c.
Domino suo Clementissimo.

Reverendissimo & Celsissimo Domino,
D. HERMANNO WERNERO
S. R. I. Principi, Episcopo Paderbornensi, &c. Cathedralis
Ecclesiæ Hildesiensis
PRÆPOSITO.

Reverendissimo & Perillustri Domino
MAXIMILIANO HENRICO JOSEPHO L. B. de & in WEICHS,
Cathedralis Ecclesiæ Hildesiensis DECANO.

Reverendissimo & Perillustri Domino
CHRISTIANO THEODORO
à PLETTENBERG SCHOLASTICO.

Reverendissimo & Perillustri Domino
NICOLAO EVERHARDO
à SCHNETLAGE SENIORI.

Ceterisque Reverendissimis ac Perillustribus ejusdem Cathedralis Ecclesiæ
DD. Canonicis Capitularibus,
Dominis suis Gratiosissimis.

Præ-

PRæcelsas Ecclesiarum Cathedralium turres exornare solet Horologium mole majus, arteque præstantius, secundum quod cætera Civitatis horologia minora diriguntur: quo aberrante, facilè aberrant, quo rectè currente ac sonante, rectè & ipsa incedunt ac resonant. Ejusmodi Horologia grandia non immeritò Episcopos, Præpositos, Decanos, ceterósque Ecclesiarum Cathedralium Prælatos ac Canonicos Capitulares esse dixerim; à provida supremi Horologiarii manu in honorum fastigio collocatos; ut Clericos, aliósq; subditos sibi commissos faciliùs dirigant; atque ab iisdem velut ex eminentiore loco commodiùs & conspiciantur oculis, & auribus percipiantur. Illorum mores & vita, si velut rotæ Horologii perfecti, ordinatè moveantur; subditi tanquam horologia minora, ad suum principale directi, nullo negotio insequuntur; ac rectè loquendo, Deúmque laudando rectè sonant: justè & piè vivendo, justas piásque omnium horarum actiones exhibent, ac vitæ periodum sine offensa decurrunt.

Reve

Reverendissimi ac Celsissimi Principes: nec non Reverendissimi ac Perillustres Domini: cùm circumspicerem quibusnam Patronis Horologium hoc spirituale dedicarem; non una occurrit ratio, haud aliis, quàm vestris sacratis, gratiosissimisq; manibus illud, quàm demissimè offerendi.

Et Prima quidem fuit, jam ante insinuata: cùm enim Celsissimæ & Reverendissimæ, Perillustres & Gratiosæ Dignitates vestræ in Ecclesia Hildesiensi sublimium instar Horologiorum emineant; quæ in choro & foro, pedo & gladio, potestate & sollicitudine, consilio & auxilio, verbo & exemplo subditos dirigant; in animum induxi meum, Libellum hunc ceu Horologiolum quoddam sciatericum ac solare Vobis velut Horologiis majoribus, non tam in horto, quàm in oratorio templóve posse deservire, ad horas diurnas ordinandas, functionésque Ecclesiasticas ad perfectionis Christianæ amussim peragendas; eo fine, ut quemadmodum ceteris dignitate & honore præstatis; ita & perfectione operum & sanctitate præcellatis; implentes illud Ecclesiastici monitum c. 33. *In*

omnibus operibus tuis præcellens esto: non sine ingenti gloriæ divinæ & propriæ in cœlis obtinendæ incremento. Vos enim estis in Hierarchiæ Ecclesiasticæ apice collocati, Episcopi, Principes, Duces, Magistri, Medici, & Pastores Fidelium, non modò secularium, verùm etiam Sacerdotum & Ecclesiasticorum. Vos Dei Altissimi vices geritis: quemadmodum enim Is, ut docet S. Dionysius Areop. Hierarch. Angel. c. 5. *Est summa puritas, summa lux & summa perfectio, purificans, illuminans & perficiens suas creaturas, Angelos & Homines*: ita & Vos munditiâ vitæ, lumine scientiarum & splendore virtutum ex officio subditos vestros, Angelos & Homines; id est Sacerdotes & seculares, purgatis, illuminatis, perficitis: quo quid esse potest excellentius aut sublimius? siquidem ut l. c. ait S. Dionysius: *nihil divinius, quàm Dei esse adjutorem.* Quàm verò hoc munus arduum sit, vel ipsum Concilium Tridentinum innuit sess. 6. Decreto de Reform. c. 1. *Ecclesiarum regimen & Prælationem* appellans: *Onus Angelicis humeris formidandum: horrendum enim est,* inquit

inquit, *tot animarum onus portare, & earum omnium rationem reddere debere.*

Ratio altera ad inscribendam Nomini & honori vestro hanc opellam meam fuit, ut authoritate & exemplo vestro ; etiam Sacerdotes & Clerici, tam Vobis commissi, quàm alii plurimi, officia sua Sacerdotalia & Clericalia in pondere, numero, & mensura perfectè obirent, Concilii Tridentini jussis oblequentes. sess. 22. c. 1. de Reform. *Sic decet omnino, Clericos in sortem Domini vocatos, vitam, moresq; suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisq; omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant.* Quin & eò collimavit intentio mea, ut Secularibus quoq; hoc Horologiolum (paucis vel mutatis vel omissis) horarum, negotiorum, studiorum, & vitæ rectè instituendæ ordinem, modumque indicaret, potissimùm verò, precationis & intentionis, exhomologeseos & Synaxeos, auditionis Sacri & examinis, aliarumq; actionum spiritualium praxes suppeditaret. Atque hi à Sacerdotum sanctè viventium (qui sunt Lux mundi, Sal terræ, Speculum vitæ, for-

ma gregis,& populi amussis) potenti exemplo animati, ad vitæ perfectioris normam & imitationem excitarentur : nam ut fatetur prædictum Concilium Trid. l. c. *Nihil est, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt: cùm enim à rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex eisque sumunt, quod imitentur.*

Tertia denique ratio me impulit; ut scilicet, ob tot, tantáque beneficia, à Præsulibus, totóque Cathedrali Capitulo vestro in hoc Collegium nostrum (in quo me obedientia collocavit) indesinenter profecta, animum gratum demonstrarem: operâ enim & favore vestro Anno 1587. in subsidium huc evocati primi Societatis nostræ operarii, ut hæresi invalescenti, unà Vobiscum sese opponerent. Sub umbra vestra varios inter turbines & tempestates, Societas nostra Hildesiensis primum seculum feliciter emensa, & secundum recenter ingressa est. Sub umbra vestra hactenus

pacatè

pacatè requieſcit Collegium, viget templum, floret Gymnaſium. Quidni igitur Celſiſſimi Principes, & Perilluſtres Domini, Horologium hoc Sacerdotale, in gratioſiſſimas manus veſtras demiſiſſimè conſignem; ut fines antedictos, protectione & favore veſtro, aſſequatur? Suſcipite igitur benevolè munuſculum hoc in grati animi ſignum & obſervantiæ perennis mnemoſynon; nec illud intueri ſubinde, dedigamini: ſi enim & à Vobis præſertim portari, manibus teri, atque oculis uſurpari cum fructu ſpirituali & immortali merebitur; ſingularibus quodammodo radiis illuſtratum, inauratúmque ſe jure exiſtimabit. Faxit id Divina Bonitas, Veſtráſque Celſitudines ac Dignitates diu ſoſpitet, ac ſervet incolumes. Eâ ſpe fretus finio, permanſurus, dum vivam.

Reverendiſſimarum & Celſiſſimarum,
Reverendiſſimarum quoque & Perilluſtrium
Dominationum Veſtrarum

Servus in Chriſto humillimus
JOANNES DIRCKINCK S. J.

APPROBATIO R. P. Provincialis.

EGo *infrascriptus Societatis* IESV *per Rheni inferioris Provinciam Præpositus Provincialis, potestate mihi facta à Patre N. P.* Thyrso Gonzalez *Societatis nostræ Præposito Generali, typis mandari permitto Librum à deputatis ad id Censoribus ejusdem Societatis lectum & approbatum, cui titulus:* Horologium Sacerdotale; *à P. Ioanne Dirckinck Societatis ejusdem Sacerdote concinnatum. In cujus rei fidem has literas manu propriâ consuetóque officii Sigillo munitas dedi Coloniæ die 22. Aprilis Anno* 1690.

(L. S.)

Henricus Weisvveiler. m.p.

COPIA

COPIA PRIVILEGII CÆSAREI

CUM ex Mandato Sacræ Cæsareæ Majestatis, omnibus & singulis Typographis ac aliis quibuscunque Librariam negotiationem exercentibus seriò, firmitérque inhibeatur, ne quisquam libros ullos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos, aut in posterum edendos intra Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum Suæ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili, alióve charactere, aut formâ, sive in toto, sive in parte excudere, recudere; vel aliò excudendos, seu recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere, & distrahere clàm, seu palàm, citra supradictorum Patrum consensum ac testimonium audeat vel præsumat:

Ego HENRICUS WEISWEILER Societatis JESU per Rheni inferioris Provinciam Præpositus Provincialis, concedo JODOCO HENRICO KRAMER Bibliopolæ Clonienſi facultatem excudendi Librum, cui titulus: *HOROLOGIVM SACERDOTALE* à P. JOANNE DIRCKINCK Societatis ejusdem Sacerdote publico usui donatum. In quorum fidem hoc ei testimonium subscriptum, & Sigillo munitum dedi. Coloniæ die 22. Aprilis Anno 1690.

[L S.] *Henricus Weisvveiler.*

FACULTAS ORDINARII.

Liber hic, cui Titulus, Horologium Sacerdotale, *à R. P. Joanne Dirckinck, S. J studiosè elaboratus, placet ut typis mandetur, hac 21. Sept.* 1690.

CHRISTIANVS NEVVENDALL ELSIVS, SS. Theol. Doctor, Colleg. Eccl. S. Andreæ Decanus, Gym. Montani Regens, Librorum Censor, &c. m. p.

PRÆFATIO
Ad Sacerdotes.

QVod olim per Moysen Sacerdotibus Legis antiquæ mandavit Dominus: Loquere ad Sacerdotes, & dices ad eos: Sancti erunt Deo suo. Levit.c.21. *Idipsum potiori jure à Sacerdotibus legis novæ postulat: tantùm enim Sacerdotium vetus à novo, quantùm umbra à corpore, nox à die, figura à veritate dissidet. Sacerdotes illi thymiama & panes propositionis offerebant, taurorum, vitulorum, agnorum, & hircorum carnes & sanguinem cruentè immolabant: vos verò O Christi, seu Uncti Domini, non panes propositionis sed panem Angelorum, non carnes animalium sed Sacratissimam carnem & Sanguinem Jesu Christi Filii Dei, quasi Agni immaculati, Deo Omnipotenti incruentè sacrificatis. Ideóque meritò exigitur,* Sancti erunt Deo suo. *Erant illi Patriarchæ, Prophetæ, Populi Duces, ac Judices: Vos, omnes illos officii dignitate & potestate superatis, Christi ipsius personam sustinentes. Vos more Patriarcharum,*

rum, in populo Dei, Patres Patrum estis, Filiósque Spirituales in Christo Jesu per Evangelium gignitis. Vos Prophetarum instar, jam cum Vate Regio canente, Deum in psalterio laudatis; jam cum Jona prædicante populi excidium prophetatis; jam cum Elia sacrificante, Ignem Divinum è cœlis in terras, verbo consecrationis, evocatis. Vos tanquam populi Duces, verbo & exemplo eundem per seculi hujus tempestates in terram promissionis, & in portum salutis deducitis. Vos mortalium Judices à Christo constituti, damnationis æternæ reos cœlo asseritis; vinculisque peccatorum, etiam innumeris, gravissimisque constrictos, verbo absolutionis, aut solvitis, aut vinctos detinetis; & quidquid solvitis aut ligatis, id ligatum aut solutum censetur & acceptatur in cœlis. An non igitur verè de vobis cecinit Propheta Regius: Ego dixi Dii estis, & Filii excelsi omnes? *Psalm.* 81. *Et an non Supremum Numen tantâ vos excellentiâ & potestate condecorans æquissimo jure exigit:* Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum? *At in quo sanctitatem hanc à vobis requisitam, collocatam esse*

arbitramini? An in scientiis & linguis? An in raptibus & ecstasibus? An verò in prodigiis & signis? Minimè gentium: ista enim à vobis Deus non exigit. Quid ergo? Non aliud sanè, nisi opera sacerdotalia quotidiana exactè, perfectè & sanctè peragenda: hæc si præstiteritis sanctitate desiderata fulgebitis. Ex fructibus eorum cognocetis eos, ait Salvator in Evangelio: quemadmodum arbor ex fructibus, ita homo ex operibus cognoscitur: fructus vestri sacerdotalia vestra exercitia sunt: hæc si perfecta, si sancta fuerint, sancti eritis; implebitisque voluntatem Domini Dei vestri præcipientis: Sancti erunt Deo suo: *id est, sancti in cogitationibus sancti in sermonibus sancti in affectibus, conversationibus, precibus, sacrificiis, horis canonicis, refectione corporis: verbo sancti in omnibus totius diei actionibus consuetis. Quod ut obtineatur efficaciùs, ordine diei stabili, & piis actionum industriis opus est Quas si desideretis si aliæ meliores non suppetant, offero demissè eas, quas tum è sacris voluminibus, & SS. Patrum monumentis, tum etiam ex Ascetarum illustrium commentariis*

præ-

præsertim R R. P P. Ludovici de Ponte, Lessii, Lancicii, Caraffæ, aliorumq; in usum meum concinnâram; cùm verò alii quoque Sacerdotes tam Ecclesiastici, quàm Religiosi in diversis locis eas expeterent; atque is etiam me excitaret, qui poterat mihi imperare, præ lo subjeci ut pluribus servirem, & non tantùm vivus, verùm etiam in pulverem jam reversus, adhuc loquerer ad Sacerdotes, ut Sancti sint Deo suo. Verborum phaleras & ornamenta prudentiores non requirent: nam pietas, devotio, sanctitas gaudet simplicibus: sed quotquot legere hæc dignabuntur, rem ipsam expendent, non verba; fructum legent non folia, flores carpent, non pappos volaticos desiderabunt: & si quid gratum repererint, id Deo omnium bonorum fonti, ac post Deum aliis si quid verò minùs ad gustum & inconcinnum invenerint id mihi, velim, attribuant Faxit Divina Bonitas, ut & ego & alii complures horologii hujus sonum, cum fructu audiamus, indicem sequamur, omnia nostra opera in pondere, numero & mensura perficiamus; atq; ita scopum hujus libelli, id est perfectionem & sanctitatem sacerdotalem in omnibus & singulis actionibus quotidianis elucentem, attingamus: ne in illo die à supremo Iudice appensi in statera minus habentes inveniamur.

HORO

HOROLOGIUM SACERDOTALE.

PRÆMONITIO.

SAcerdos Christiane, priusquam ad praxes particulares omnium diei horarum descendam, monitum, rogatúmque te velim; ut ternas, quas præmitto, praxes quasi generales, omnibúsque operibus convenientes, antè probè penetres atque perspicias. I. Methodum docet omnia opera quotidiana bene peragendi, pro Neomystis præsertim & incipientibus. II. Modum tradit omnia diei exercitia perfectè, imò perfectissimè obeundi, pro Sacerdotibus in via virtutum diutiùs exercitatis ac ferventioribus. III. Industriam exhibet aspirationum & precum jaculatoriarum, quibus opera & occupationes externæ potissimùm animandæ, elevandæque sunt. Convenit enim, ut Sacerdos in statu adeò sublimi & excellente collocatus, in omnibus operibus suis præcellens sit, & modum operandi supra vulgus attollat; qui supra seculares omnes dignitate & potestate eminet.

I. PRAXIS

I. PRAXIS.

Opera ordinaria bene peragendi.

IN omni opere attende, & observa potissimùm hæc tria: objectum, finem, modum: quæ si bona fuerint, ages bene, quidquid agis.

I. Allabora, ut objectum, materia, seu res, quas agis semper bonæ sint, ac Deo placeant: nam ut docet S. Ambrosius: Qui ad officium Ecclesiæ vocamur, talia debemus agere, quæ placent Deo. l.1. off. c.37. Idque exemplo Christi Domini, dicentis Joan.8. *Ego quæ placita sunt ei, facio semper.*

II. In omni opere respice finem, & stude, ut singula, præmissâ intentione bonâ perficias: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*: monet Apostolus 1. Cor.10. Finis autem triplex est, alter altero perfectior: nam operari ex metu pœnæ evadendæ, servorum est: ex spe præmii, mercenariorum: ex amore, ut placeas Deo, Filiorum. Ad hoc postremum itaque semper collima: ut enim docet S. Chrysost. l. de compunct: *Si omnino dignus fueris aliquid*

aliquid agere, quod Deo placeat, & aliam adhuc, præter hoc ipsum, quod placere meruisti, mercedem requiris, verè ignoras, quantum bonum sit placere Deo.

III. Conare quoque ut modus operandi bonus sit: rectè enim ait S. Cyprianus de singul. Cleric. *Sanctum non est, quod agitur sanctum, nisi sancte, quod sanctum est peragatur.* I. igitur semper sis in gratiâ Dei & charitate supernaturali præditus, aliàs opera tua merito vitæ æternæ carent. II. Attende ne operi admisceas peccatum, meritum & valorem ejus destruens, aut imminuens. III. Observa omnes circumstantias requisitas, Personæ, loci, temporis &c. Bonum enim causatur ex integra causa, malum autem ex quolibet defectu, ut cum Theologis docet S. Dionys. de Div. nom. c. 4. IV. Operare, præmissâ quadam & corde tranquillo susceptâ deliberatione, ac maturo judicio: ut suadet S. Bernardus l. 3. de Consid. c. 4. *Spiritualis homo, omne suum opus trinâ considerationepræveniat: primò an liceat, deinde an deceat; postremò an expediat: nametsi constet in christiana utique Philo-*

sophia,

sophia, non decere nisi quod licet; non expedire nisi quod decet & licet, non continuò tamen, omne quod licet, decere aut expedire consequens erit. Hæc igitur Prudentiæ virtus decernat oportet, dictétque quid agendum, omittendúmve sit: & ne erretur. V. Prælatorum ac Superiorum quoque voluntatem & approbationem require: hi enim dati sunt, tanquam divinæ voluntatis interpretes, quos sequendo non aberrabis innuente Scripturâ: *Qui vos audit, me audit.* Lucæ 10.

IV. Practicè autem loquendo, bene opera tua perages. 1. Si singula opera externa ita institues, quomodò spectante, vel certò superventuro Superiore, quem times, vel cui placere quæris, eadem perageres. 2. Si feceris eo modo, quo fieri velles à curæ tuæ commisso, præsertim si is modum, hoc opus bene peragendi, à te requireret. 3. Si tam exactè facies ea, quæ debes, pro Deo; quemadmodum mundani pro mundo, præsertim opifices sua elaborant. 4. Si opera interna ita perages, ut perageres, si iis finitis, certò te scires moriturum. *In omnibus cogitationibus,*

nibus, locutionibus, ſive actibus tuis, dic tibi: Itane ageres, ſi hanc ſcires pro certo noviſſimam vitæ tuæ horam? S. Bernard. in form. hon. vit.

II. PRAXIS.

Opera ſua perfectè ſeu modo perfectiſſimo exercendi.

SAcerdoti in ſtadio ac ſtudio perfectionis pluſculum progreſſo excellentior paulatim quaſi per paſſus & gradus via intranda eſt, & chariſmata meliora æmulanda ſunt; ut indies ad perfectiora & perfectiora indefinenter aſpiret, donec apicem perfectionis ac ſanctitatis conſcendat; illos imitans, de quibus ſcribit S. Gregorius Nazian. orat. 1. in Jul. Qui nullum aſcenſûs & Deificationis modum ſeu terminum agnoſcebant.

§. I. *Motiva perfectè operandi ſæpe expendenda.*

I. Voluntas Dei per Apoſtolum promulgata: *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* 1. Theſſ. 4. Ipſe Deus Deut. 18. voluntatem ſuam declarat: *Sancti eſtote, quo-*

quoniam ego sanctus sum. Et Christus Dominus. Matth. 5. *Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Et S. Petrus Apost. 1. suæ Epist. c. 1. *Secundum eum, qui vocavit vos sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis.* Et Ephes. 1. *Immaculati in conspectu ejus.* Phil. 1. *sitis sine querela & reprehensione.* Quæ sacerdotibus magis, quàm aliis conveniunt.

II. Poscit hoc creatio nostra, quâ ad imaginem & similitudinem Dei conditi sumus, cujus perfecta sunt opera.

III. Hoc requirit Incarnatio verbi: quia, teste S. Augustino serm. 13. de temp. Deus factus est homo, ut homo fieret Deus: scilicet per Christi Domini imitationem & similitudinem; quod potissimùm Sacerdoti, Christi personam sustinenti convenit.

IV. Hoc exigit mors Salvatoris, eo fine obita, *ut exhiberet Ecclesiam non habentem maculam aut rugam; sed ut sit sancta & immaculata.* Ephes. 5. Cujus Sacerdotes, inter membra præcipua recensentur.

V. Hoc docet recta ratio: homo enim mediocri bonitate contentus, & non ad

per

perfectionem ac sanctitatem omnimodam aspirans minùs prudenter agit: nam pro corpore quærit semper meliora, vestes, cibos, potum, habitationem & alia omnia; pro anima tamen sua, non quærit ei magis profutura in æternum. An non hæc cæcitas est & stultitia?

VI. Denique postulat id, ipse status & munus sacerdotale, prorsus divinum. *Qui sacerdotem dicit, augustiorem, prorsusq; divinum insinuat virum.* ait S. Dionys. Areop. de Eccl. Hierarch c 1. Cujus officium est, ut scribit S. Gregorius Nazian. *Deificare homines* & ad vitam quandam Divinam elevare. Quidni igitur ipse priùs elevetur ac Deificetur?

Conclude cum Gerson: 3. p. tr. de myst. pract. industr. 4. Mala, itaque, est ista vox multorum, sufficit mihi vita communis: si cum multis salvari potero, satis est: nolo merita Apostolorum, nolo volare per summa, incedere per planiora contentus sum. Verus enim amor, ut loquitur S. Laurentius Justinianus de casto Connub. c. 2. Gradu uno contentus non est, ad altiora semper nititur, & ad perfectiora inde-

indesinenter concupiscit attingere: dicens cum Apostolo, quæ retrò sunt obliviscens, ad anteriora extendens me, prosequor ad ipsum destinatum bravium supernæ vocationis Christi Jesu. Noli ergo degenerare, ô Sacerdos! à præcelsis cogitationibus Filiorum Dei; Ito, ut Seneca ait, contra opinionem vulgi, sicut stellæ, ab occidente in orientem: & metire actiones tuas magnâ mensurâ Magnorum & Heroum.

§. II. *Praxis ipsa perfectè operandi.*

Consistit in hoc ut 1. perfectiora objecta. 2. Perfectiorem intentionem. 3. Perfectiorem operandi modum amplectaris. Itaque

I. In omni occasione bene operandi, seu ultrò oblata, seu quæsita, quantum potes, & quantum licet, objectum perfectius elige, & quod è duobus bonis melius & Deo gratius judicas, arripe. Sic v.g. ceteris paribus, longior oratio breviori; major eleemosyna, minori; jejunium arctius, laxiori; opus difficilius, faciliori; amor inimicorum, dilectioni amicorum; lectio

SS. Patrum & Historiarum sacrarum, lectioni profanorum, pro Sacerdotibus, anteponenda est, sic quoque perfectius est opus & majus meritum parit, in quo est major victoria repugnantiæ naturæ, quàm in quo est minor; præcellit major nostri mortificatio & confusio, minori; major repressio humanorum respectuum, judiciorum & crisium, minori; major utilitas, durabilitas, stabilitas operis minori, & extensio utilitatis ad plures, personas, loca, communitates, quàm ad pauciores. Si dubites, quodnam sit perfectius, illud elige quod Christo despecto, passo & crucifixo conformius esse deprehenderis; & ex quo major Dei gloria & laus oriatur.

II. In fine eligendo, non qualicunque contentus esto; sed omnibus actionibus tuis, tam externis quàm internis perfectissimum præfige: operando scilicet ex motivo perfectissimo charitatis supernaturalis, Dei propter se purè dilecti, ejúsque solius beneplaciti & voluntatis, delectationis & gustûs, amicitiæ & benevolentiæ. Quando quis operatur, non ut ipse placeat

Deo,

Deo, sed quia placet ei Deus, vel quia placet Deo quod operatur, ut docet S. Bernardus, is est amor Sponsæ, quem Sponso nostro cœlesti debemus.

Deinde juverit & amplioris erit charitatis, formare intentiones altissimas, sublimissimas, universalissimas, intendendo summam Dei gloriam, summum infinitum, æternum ejus gustum, & beneplacitum. Proximis omnibus optando omne & summum bonum: exemplo Christi Domini, orantis, laborantis, morientis pro omnibus, & volentis, omnes homines fieri salvos, sanctos ac perfectos. Et consilio S. Pauli 1. Tim. 2. obsecro igitur primùm omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationem, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt.

Tertiò laudabile quoque est plures conjungere intentiones, ut quasi pluriun qualitatum & virtutum gemma coalescat: præluxêre in hoc viri sanctitate insignes: è multis unum adduxisse sufficiat R.P. Martinum Stredonium S.I. Provincialem in Bohemia, & vaticinio de

felicitate Domûs Auſtriacæ celebrem: hîc ut legitur in ejus vita cap. 13. ſolebat intentionem per additionem aliarum intentionum perficere, ut ferventior & illuſtrior in conſpectu Dei compareret: quod in orationis & communionis paradigmate ſic declarabat. Orandum mihi nunc eſt ex obedientia; obſequar ut ſim *Obediens*: ſed & orabo ut Deum confitear, *Fidelis*. 2. Ut ab eodem ſalutis auxilia obtineam, *Sperator*. 3. Ut ad eundem diligendum ſuper omnia inflammer, *Amator*. 4. Ut eundem adorem & colam, *Religioſus*. 5. Ut eum Patrem recognoſcam, *pius Filius*. 6. Ut eidem Domino ſubjiciar, *ſervus natus*. 7. Ut ei gratias pro beneficiis agam, *gratus Cliens*. Ad Sacram communionem aditurus, ajebat. Accedam SS. Euchariſtiam. 1. Ut pane vitæ animam meam vivificem. 2. Ut ignorantiæ meæ à præſenti Sole Juſtitiæ lumen mutuem. 3. Ut concupiſcentiæ ardores extinguam. 4. Ut malitiæ meæ duritiem, ejus bonitate expungam. 5. Ut mihi & proximis vivis remiſſionem peccatorum obtineam. 6. Ut fidelibus piè defunctis

ad

advisionem Dei, quàm primùm obtinendam, præstem suffragium. Similiter alia opera incepturus intentiones cumulabat, existimans non sine rationabili fundamento, tot se in uno actu virtutes Deo oblaturum, quot ei sanctas intentiones adjecisset.

Quartò intentionem tuam, cum intentione Christi Domini, Beatissimæ Virginis & aliorum Sanctorum, conjunge, obedientiam tuam cum ejus obedientia, humilitatem cum humilitate, patientiam cum patientia, charitatem cum charitate, labores ac dolores cum doloribus Christi uni. Hoc sibi gratissimum esse Deus multimodâ revelatione S. Gertrudi demonstravit, ut refert Blosius. Hoc imitatus est R. P. Lud. de Ponte l. 2. vitæ c. 2.

Idem præstitit R. P. Stredonius, qui tanquam præstantissimus Chrysopœus operum valorem ampliabat inaurando ea & aurea reddendo unione meritorum Christi, & charitate; ut quidquid ageret, ex hac fornace divini amoris eliquatum produceret. Denique opus peractum, laborem & fatigationem suam, in mare

magnum laborum & fatigationum D N. Jesu Christi, velut exilem guttulam injiciebat, eique omnium sanctorum, qui sunt, fuerunt, erunt obsequia adjungebat, atque ita Divinæ Majestati humillimè offerebat: sperans se hâc Divinâ Chrysopœiâ vile suum plumbum in aurum præstantissimum transmutaturum.

III. Modum operandi, è duobus, pluribúsve bonis, semper elige perfectiorem. Hujusmodi modos varios assignat R. P. Nicolaus Lancicius Opusc. 3. c. 9.

Primus modus est, ne ullam actionem, quasi casu aut ex consuetudine, sed ex imperio vel influxu alicujus virtutis peragas.

Secundus modus perfectiùs operandi est, ut certum tempus assignatum non habentia, facias quantocyus. Qui citò dat, bis dat.

Tertius est, ut opera tua cum fervore quàm maximo peragas, id est cum intentionis actibus valde intensis & ferventibus *Spiritu ferventes* 1. Cor. 12.

Quartus perfectè operandi modus est, ut functiones Deo, aut Superioribus debi-

debitas cum maxima, quâ potes reverentiâ obeas: v.g. preces persolvas, non sedendo aut ambulando, sed flexis genibus, quod, ceteris paribus, majorem reverentiam præ se fert. Exemplo Christi in horto orantis & aliorum Sanctorum.

Quintus modus est, ut actiones, occupationes, functiones tuas & ministeria exequaris juxta normam præscriptam à Superioribus, qui Dei sunt Vicarii.

Sextus est, ut omnia opera tua, cum cœlesti quodam decoro, virgineâ modestiâ, & sincerâ, non fucatâ, omnium corporis membrorum compositione tam publicè quàm privatim peragas. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis & Hominibus*, 1. Cor. 4. Ipse incessus, motus, vultus, sermo, silentium quandam decori sacri præferant dignitatem, monet S. Hieronymus in c. 2. Titi. Eo modo orabo, vel cibum sumam, quo Angelus vel Sanctus quispiam è cœlo redux id perageret: ita proponebat sibi R.P. Ludovicus de Ponte, l. 2. vitæ c. 3.

Septimus est, hilariter pro Deo omnia agere: Hilarem enim datorem dili-

git Deus. 2. Corrinth. 9.

Octavus est, tam perfectè agere singula, ut operatio respondeat cognitioni, quam habes de modo illud opus perfectè exercendi. Hoc curabat B. Aloysius noster. Ut mentis suæ lumen factis æquaret. l. 2. vitæ c. 7.

Nonus est, ut opus cum Christi, Sanctorumque exemplo consentiat. Deus Verbum est imago, in qua nulla est macula, ei omnibus viribus tentandum est animam similem efficere, docet S. Clemens Alex. l. 1. Pæd. c. 2.

Decimus est, traditus à D. Thoma Opusc. 62. de Div. mor. Diligentiam inquit, apponere debemus, ut singula opera nostra, quantum unquam melius possimus, faciamus; ex omni virtute D. N. Jesu Christi, & cum omni desiderio triumphantis & militantis Ecclesiæ, & sub nomine Creatoris: quasi tota salus nostra, & omnis laus Dei, & universitatis utilitas ex uno opere dependeat: quasi nunquam ad id opus reversuri, neque aliud postmodum facturi. Quod & Christus Dominus commendavit B. M. Magda-

Magdalenæ de Pazzis p.1. vitæ c.10. Imaginare omnia opera & verba tua fore ultima.

Finio has methodos perfectè operandi, adjectâ, auctarii loco, doctrinâ R.P.Ludovici de Ponte, tradit l.2. vitæ c.2 cupiens ipsum Deum in operando imitari, ejúsque perfectiones & proprietates quodammodò sectari: Divinitatis imitatio est, inquit, facere opera sua bona sine turbatione, cum amore, sine quæstu, cum magnanimitate sine præsumptione, parvi ea ducendo, licèt sint magna. Proprietas Dei est summa occupatio cum summo otio: cum tranquillitate judicas. Proprietas Dei est facere bona ex amore, sine spe lucri à suis creaturis. Diligam eos spontaneè. Proprietas Dei est magnanimitas, pro suis amicis facere magna, ac si parum faceret, & eis magna dona impertire, ac si essent exigua. Dat omnibus affluenter. Quando sic agitur est imago Divinitatis; & impletur illud Ecclesiastici: In omnibus operibus tuis præcellens esto. In omnibus, magnis & parvis, qualiacumque sint:

tantam enim perfectionem à Deo habet in ſpecie ſua, formica, quantam elephantus, in ſua; tantam paſſer, quantam aquila; tantam trigla, quantam balæna. Dei perfecta ſunt opera. Hæc, Sacerdos Dei, pro viribus imitare, & valdè in perfectione ac ſanctitate proficies. Hic enim operandi modus, eluxit in Chriſto, B. Virgine, Apoſtolis & aliis ſanctitate illuſtribus.

III. PRAXIS

Aſpirandi ſæpius per diem ad Deum per preces jaculatorias.

ASpirationes hæ, ſunt breviſſimæ quædam orationes, ſunt ſuſpiria ardentia, ſunt aſcenſiones mentis in Deum & motus anagogici, ſurſum ducentes: ſunt affectus ſeu affectiones cordis & deſideria ferventia ad Deum & cœleſtia. Ut his coneris aſſueſcere, moveat te:

I. Voluntas Chriſti Domini dicentis Lucæ 18. *Oportet ſemper orare & non deficere*; Hanc autem orationis per-

perpetuitatem per preces jaculatorias obtinebis.

2. Exemplum Christi easdem usurpantis. v.g. in horto: *Pater si possibile est transeat à me calix iste.* Et in Cruce: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

3. Exemplum Sanctorum; quibus hæc orandi methodus familiarissima extitit. Sic orabat Judith: *Confirma me Domine in hac hora.* Thais à Paphnutio conversa, edocta est repetere identidem: *Qui plasmasti me miserere mei.* Sanctorum alii centenos, alii millenos indies ejusmodi affectus & precationes velut igneas amoris sagittas in cœlum ejaculati sunt.

4. Fructus, qui inde exoritur, est augmentum ingens gratiæ & gloriæ, elevatio mentis à terrenis ad cœlestia, purgatio animæ, progressus in virtutibus, unio cum Deo.

5. Officium Sacerdotale, collectum requirit animum; qui ne per externas occupationes, itinera, negotia, alloquia, nimiùm distrahatur & velut ab-

sorbeatur, per hujusmodi suspiria & mentis pios motus recolligendus est. Usus assiduus praxin faciliorem reddit. Exempli gratiâ, paucula innuere sufficiat.

In aspectu solis.

Conditoris pulchritudinem & majestatem admirare & lauda, dicens: Quàm pulcher es Dilecte mi, & decorus! O Sol justitiæ illumina me, accende me.

In aspectu cœli.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine! concupiscit & deficit anima mea.

In aspectu siderum.

Quàm sordet mihi terra, dum cœlum aspicio!

In aspectu rei delectabilis.

Delectasti me Domine in factura tua. Psal. 91.

In aspectu rei deformis.

Abominabiles facti sunt, sicut ea quæ dilexerunt, Peccatores.

Casu

Casu intuens quid indecens.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Psal. 118.

Audiens referri grata.

Benedictus Deus! Ephes. 1. gratulare, gaude, gratias age Deo.

Audiens suavem musicam.

Si hæc in exilio, quid erit in cœlo? si hæc homines, quid Angeli?

Gustans cibos sapidos.

Gustate & videte, quàm suavis est Dominus. Psalm. 33.

Aspiciens hortum amœnum.

Exorna me Domine floribus virtutum; lilio castitatis, violâ humilitatis, rosâ charitatis.

Sentiens frigus vel æstum.

Exerce actum patientiæ. Benedicite frigus & æstus Domino.

In tentatione.

Malo mori, quàm fœdari. Esto mihi Domine turris fortitudinis à facie inimici.

Ingrediens templum.

Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Transiens Cœmeterium.

Da requiem cunctis, Deus, hîc & ubique sepultis.

Cernens cœcum, claudum, ægrum, hæreticum, Judæum, &c.

Compatere, gratias age, pro fide, sanitate, integritate & cogita: Cur ille & non ego!

Videns Deum laudari, gaude, audiens Deum offendi, contristare in spiritu. Intuens mundi vanitatem & pompam, detestare. Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Denique cum S. Bonaventura in stim. amoris c. 10. ex qualibet re ad Deum laudandum occasionem sumere & ascendere facile poteris: Cum videris, inquit, aliquos in prælatione temporali, cogitabis hoc esse factum ad Dei magnificentiam ostendendam & si in eis Dei potentiam collaudabis. Cum autem videris alios scientiæ insistentes in eis Dei sapientiam commendabis.

Cum

Cum verò videris alios temporalibus negotiis insistentes, in eis divinam laudabis providentiam. Si aliquos videris cereros judicantes, divinum judicium time. Si pœnas inferentes, divinam justitiam cogita. Si Prælatos remissos divinam misericordiam commendabis. Si insistentes operibus charitatis, divinam Bonitatem laudabis. Si calorem habueris, recogitabis Dei Patris nimiam charitatem, qua Filium suum voluit incarnari & pro omnibus Crucifigi. Si frigus habueris, ab omni æstu miseriæ refrigerium anhelabis: & sic per singula discurrendo, omnia potes & debes reducere in laudem & magnificentiam Creatoris. Vide Card. Bona in via Compendii ad Deum prolixius hæc tractantem.

Indicat horam
Non patitur moram
Pulvis obest
Vncto prodest
HOROLOGIVM
SACERDOTALE.

HOROLOGII
Sacerdotalis
HORA IV.
Matutina.

VT primùm evigilas, excitari te cogites, vel suavi voce S. Angeli Custodis tui, te ad laudandum Deum evocantis & insusurrantis, N. Surge velociter; vel terribili tubæ ultimæ clangore intonantis: Surgite mortui, venite ad judicium; & consilium Ecclesiastici sequens: Horâ surgendi non te trices *c. 32. tempusve nobile somno superfluo transigas: tempore enim nihil pretiosius, nihil celerius aut brevius: Ergo dum tempus habes, operare bonum,* & Quodcunque potest operari manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud Inferos, quo tu properas. *Eccli. 9*

Praxis surgendi.

Evigilans, mox offer cogitationum & actionum tuarum primitias, & in affectus ferventes erumpe: Deus, Deus meus ad te de luce vigilo: cor meum & caro mea exulta-

ultaverunt in Deum vivum. Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. *Psalm.* 62.

Gloria Patri, qui creavit nos: gloria Filio, qui redemit nos: gloria Spiritui Sancto, qui sanctificavit nos. Benedicta sit sancta & individua Trinitas, nunc, & semper, & per infinita secula seculorum, Amen.

Dum surgis.

Formato signo crucis, dic: In nomine Domini nostri Jesu Christi Crucifixi surgo: qui me prerioso Sanguine suo redemit, ille me benedicat, regat, custodiat, & ad vitam perducat æternam. Amen.

Dum vestes induis.

Sacerdotes tui, *Domine*, induantur justitiam, *qui promisisti:* Sacerdotes ejus induam salutari, & sancti ejus exultatione exultabunt. *Psalm.* 131.

Ad Deum Patrem.

Fac me, Pater æterne, exuere veterem hominem cum actibus suis, & induere novum, *qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate Veritatis.* Ad Ephes.

Ad Filium Dei.

Indue me, Jesu Christe Rex gloriæ, al

bâ humilitatis tuæ, & purpurâ patientiæ, ut impleam illud Apostoli tui: *Induimini Dominum nostrum Iesum Christum.* Rom. 3

Ad Spiritum Sanctum.

Orna me, Sancte Spiritus, vestitu deaurato ardentissimæ charitatis, & circumda me varietate donorum tuorum, ut te super omnia diligam, & magnalia tua semper deprædicem.

Ad Beatissimam Virginem.

Contege me, ô Mater misericordiæ! fragantibus Filii tui vestimentis; ut tanquã electus Dei, sanctus & dilectus, induam viscera misericordiæ; benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam & castitatem: atque ita Patris cœlestis benedictionem obtineam.

Ad S. Angelum Custodem.

Muni me, Sancte mi Angele Tutelaris, armaturâ Dei, loricâ justitiæ, galeâ salutis, scuto fidei, & gladio Spiritûs; ut possim stare adversus insidias Diaboli, & omnia tela nequissimi ignea extinguere.

Dum Caput pectis

Repelle à me Domine, Spiritum superbiæ & immunditiæ; & orna caput meum coronâ gl oriæ.

Dum

Dum faciem & manus lavas.

Pie Pelicane Jesu Domine, me immundum munda tuo sanguine. Amplius lava me, & ab iniquitate mea munda me.

PRAXIS
Persolvendi Preces matutinas.

Circa primum quadrantem, si commodum sit, visita Venerabile Sacramentum; sin minùs, ante aram domesticam, ardenti corde in sequentes erumpe affectus.

Oratio I.
Ad Sanctissimam Trinitatem.
Sis Gratus.

ADoro & veneror te, ô sanctissima Trinitas, te glorifico, laudo, benedico, ac totum me ante thronum Majestatis tuæ humillimè prosterno. Tibi gratias ago, pro plurimis, maximisq; beneficiis tuis, creationis, conservationis, redemptionis, sanctificationis, vocationis ad veram Ecclesiam, atq; ad ordinem ac statûs sacerdotalis dignitatem; aliisque innumeris, & nominatim pro hac nocte tã feliciter transacta. Quot eheu! mortalium millia etiam hac nocte in infidelitate, hæresi, aut peccato lethali ad

In-

Inferos rapta æternùm perierunt ? & cur non ego ? *Misericordias Domini in æternum cantabo. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* Psalm. 33.

ORATIO II.

Ad Deum Patrem.

Cor offer.

O Clementissime Pater! Ego me Tibi cum corpore & anima, cum sensibus & potentiis totum offero, & ad omnem nutum ac beneplacitum tuum penitus consigno. Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam : sive me ire jubes ad lucem, sive ad tenebras; sive ad quietem, sive ad labores; sive ad solatia, sive ad acerbitates; sive ad vitam, sive ad mortem; sive per aquam, sive per ignem; sive per infamiam, sive per bonam famam : Deus meus, volui; & legem tuam in medio cordis mei ita defixi; ut non nisi juxta eam, quies & motus, & omnia mea dispensentur. *Domine, quid me vis facere?*

Act. 9.

ORA-

ORATIO III.

Ad Dei Filium.

Opus dispone futurum.

O Jesu amantissime! aspirantete, firmissimè propono, omnia mandata & judicia justitiæ tuæ custodire. Statuo hodierna die sanctè pensum horarum persolvere: sanctissimum Missæ sacrificium sanctè celebrare: omnia denique & singula in nomine tuo faciendo & patiendo sacerdotis sancti officium adimplere. *Vias tuas, Domine, domonstra mihi; & semitas tuas edoce me.* Psalm. 24.

ORATIO IV.

Ad Spiritum Sanctum.

Vita peccatum.

SUccurre mihi obsecro, ô Divine Spiritus! qui fragilitatem meã nosti. Adeóne cœcus ero, & sublimissimæ dignitatis sacerdotalis obliviscar, ut in vitiorum ac peccatorum cloacam me præcipitem, & sus instar volvam in volutabro luti; præsertim peccati hujus N, tantopere tibi displicentis? Absit hoc à me, Domine: Tu pœnitentem corrobora, qui spopondisti

Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem. Ps. 90.

ORATIO V.

Ad Sanctos Patronos.

Subsidiúmque pete.

ASsistite mihi, hodierna die, fideliter ô sancti Patroni mei! Tu præcipuè Mater mea, & Advocata mea Sacratissima Virgo Maria: & Tu mi sancte & fidelissime Angele Custos, cum S. Josepho, S. Joanne Baptista & Evangelista, S. Petro & Paulo &c. cæterisque Divis Tutelaribus & Sanctis, hodiernâ luce celebribus. Vos periculà mea in lucidissimo Divinitatis speculo clarè cernitis; vos fragilitatem meam nôstis; vos hostium meorum multitudinem, potentiam & ferociam non ignoratis. Protegite igitur me, obsecro & adjuvate fortiter: non enim solùm mihi est *colluctatio adversus carnem & sanguinem*; sed & *adversus Principes & potestates tenebrarum harum.* Ephes. 6.

Commendatio ad B. V.

O Domina mea Sancta Maria! me in tuam benedictam fidē, ac singularem custo-

custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ hodie & quotidie & in hora exitûs mei, animam meam & corpus meum tibi commendo: omnem spem meam & consolationem meam; omnes angustias & miserias meas; vitam & finem vitæ meæ tibi committo; ut per tuam sanctissimam intercessionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur & disponantur opera, secundum tuam, tuíque Filii voluntatem. Amen.

Commendatio ad S. Angelum Custodem.

ANgele Dei, qui Custos es mei, me tibi cõmissum, pietate supernâ, hodie custodi, illumina, rege, guberna: Et impetra mihi Deo misericordiam, emendationem vitæ, veram contritionem, sanctum usum Sacramentorum, felicem mortem, judicium Dei particulare mite & clemens, ac beatam æternitatem. Saluta quoque ex me omnes Sanctos Patronos meos, in primis beatissimam Virginem Mariam, Matrem ac Dominam meam, illíq; hanc salutationem offer: Ave Maria &c. Deniq; roga omnes, ut pro me, ubi forsan inutilibus operibus occupabor, vices meas suppleant, ac Deum pro me laudent. Amen.

EX

EXERCITIUM SPIRITUALE verè aureum.

Seu methodus dirigendi actiones suas purè ad Deum, & sanctificandi easdem, & elevandi operationes etiam minimas ad altissimum gradum meritorum. Minimùm semel in die dicendum. Juxta Exemplar Italicum.

CLementissime Deus, Creator meus, quemadmodum totus sum tuus; ita tuum debet esse omne id quod procedit de me: per te me creasti; hinc multis titulis meipsum tibi in donum debeo, cum omnibus actionibus meis, quæ nullius erunt valoris, si in te tanquam finem ultimum non fuerint directæ.

Ego igitur N. vilissima creatura tua, offero Tibi Bono meo infinito, in omni momento, meipsum & totam vitam meam, omnesque operationes meas; particulariter autem illas, quas facturus sum præsenti die tam bonas, quàm indifferentes, tam liberas, quàm naturales: & ut Tibi Deo meo magis placeant, omnes illas unio actionibus Christi Domini nostri, & Sanctissimæ Virginis Matris suæ, nec non cunctorum

Spirituum beatorum,& Sanctorum omnium,qui unquam fuerunt,sunt, & in omnem æternitatem erunt.

Tibi etiam consecro omnes passus meos,locutiones & verba,obtutus & ictus oculorum meorum , motus corporis mei, omnem cogitationem & spirationem cordis mei,hoc solùm fine & desiderio,quòd vellem Tibi per unamquamque istarum actionum gloriam dare infinitam, & amare te infinito amore.

Intendo etiam cum omni operatione mea offerre Tibi corda & affectus omnium creaturarum; perfectionem & sanctitatem Angelorum omnium;virtutem Patriarcharum , Prophetarum & Apostolorum; pœnas & dolores Martyrum; pœnitentiam Confessorum; puritatem & castitatem Virginum ; Sanctitatem Beatorum omnium; finaliter Teipsum Tibi ipsi, cum infinita perfectione & bonitate tua: hoc autem non ad obtinendam rem aliquam à te,nec ut possideam propter hoc paratus sum; sed ex puro amore amicitiæ & benevolentiæ,& ad dandum Tibi majus placitum & gloriam.

N

Nec solùm offero tibi cor meum, voluntatem meam, intellectum meum, me ipsum eo modo, quo Tibi magìs placet (id quod in unaquaque actione mea facere desidero) sed etiam unà cum illis Tibi offero & ad Te dirigo omnes illas actiones, quæ ab omnibus creaturis fient absque hac directione.

Ulteriùs intendo Tibi offerre omnes illos actus amoris, quibus, uti spero, amabo Te per totam æternitatem; & nunc liberè Tibi idipsum præsento, quod postea erit absque libertate. Simile intendo de omnibus actibus aliarum virtutum, faciendis tam per me, quàm per alios quoscunque Beatos in paradiso. Et quia res omnis tantò est excellentior, Tibique gratior, quantò est conformior voluntati tuæ, in omni actione non solùm desidero conformare voluntatem meam voluntati tuæ; sed intendo id solùm adimplere quod Tibi placet, volens ut fiat tua sola voluntas, & non mea; dicendo semper ore, corde, labiis & vitâ: Fiat Domine voluntas tua.

Dignare solùm, Domine, mihi hanc dare gratiam, ut possim semper magìs arden-

ter amare te; perfectiùs servire Tibi; puriùs operari ad gloriam tuam ; & taliter transforma me in te, ut in te solo vivam, & tibi soli; & hæc sit mea hîc in terris beatitudo, id agere, quod tuæ est beneplacitum voluntati. Amen.

Intentiones particulares pro singulis Hebdomadæ diebus.

Intentio Die Dominicâ.

I. Omnia offer ad honorem Sanctissimæ Trinitatis, ac præcipuè Æterni Patris

II. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis.

III. In satisfactionem pro omnibus peccatis

IV. Pro extirpatione vitiorum & passionum N. N. N.

V. Pro impetratione virtutum N. N. N.

VI. Pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ, & Indorum, Chinensium, Japonum, Brasilorum, Turcarum, Tartarorum, aliorumque populorum infidelium conversione. *Patroni, SS. Angeli.*

Feria II.

I. Ad honorem Filii Dei, Redemptoris nostri.

II. III. IV. V. ut die Dominica.

VI. Pro omnibus fidelibus defunctis, præsertim iis, quibus magis obstrictus sum N. N. ut liberati, vicissim impetrent mihi plenarias in morte indulgentias, vel celerem è purgantibus flammis liberationem.

Patroni omnes SS. Patriarchæ & Prophetæ.

Feria III.

I. Ad honorem Spiritûs, Sancti, necnon S. Angeli mei Tutelaris.

II. III. IV. V. ut suprà.

VI. Pro toto Imperio Romano, & imprimis pro hac Patria & Civitate.

Patroni S. Angelus Custos & SS. Apostoli.

Feria IV.

Ad honorem SS. Patronorum: S. Josephi, S. Joannis Baptistæ, Patroni Ecclesiæ, altaris &c.

II. III. IV. V. ut ante.

VI. Pro felici morte, tibi, tuisque impetranda.

Patroni SS. prædicti cum Evangelistis & Discipulis Domini.

Feria V.

I. Ad honorem Sanctissimi Sacramenti.

II. III. IV. V. ut suprà.

VI. Pro Pontifice, Episcopis, Prælatis & Ecclesiæ Pastoribus.

Patroni SS. Pontifices & Confessores.

Feria VI.

I. Ad honorem Jesu Christi Crucifixi, ejusque sanctissimorum quinque vulnerum.

II. III. IV. V. ut ante.

VI. Pro conversione Hæreticorum & Peccatorum & tuis quoque inimicis

Patroni SS. Martyres.

Sabbatho.

I. Ad honorem B. V. M.

II. III. IV. V. Ut Dominicâ.

VI. Pro afflictis, tentatis, periclitantibus, ac per totum mundum hodie agonizantibus, præsertim pro cultoribus singularibus. B. M. V.

Patronæ B. Virgo & Sanctæ Virgines & Viduæ.

In meditatione mea exardescet ignis.

MEDIO QUINTÆ.

Horaria vel semihoraria meditatio.

NIhil esse utiliùs meditatione tum ad vitia evellenda, tum ad virtutes inserendas, amorisque divini ignem in nobis excitandum, conservandúmque SS. PP. testimonio & experientiâ quotidianâ liquet. Concaluit cor meum intra me & in meditatione mea exardescet ignis, inquit Propheta *psalm.* 38. *Ignis inquam, pietatis, virtutis, amoris divini, & æternitatis. Et Doctor Mellifluus Eugenium Papam ad meditandum & considerandum cœlestia exhortaturus*, Mentem, *inquit*, purificat consideratio; deinde regit affectum, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat. *Vt è contra meditationis defectus, omnis ferè vitii & imperfectionis, ruinæ & desolationis scaturigo est:* Desolatione desolata est terra, quia nullus est qui recogitet corde, *lamentatur Ieremias c.* 12 *id est qui mediretur peccata, novissima, divina*

divina, æterna Itáque cum Davide propone, mi Sacerdos, in matutinis meditabor in te, neque molem negotiorum frivolè prætende, non es occupatior Davide, regnum, Eugenio Ecclesiam, Ferdinando III. Imperium, Salesio & Borromæo Episcopatum gubernantibus. Imitare legis veteris Sacerdotes Levit. 6. & ignem amoris divini in ara cordis tui assiduè fove, eundemq; indies mane novo meditationum & affectuum pabulo instaura, ne paulatim extinguatur.

Praxis Meditandi

Nota. Meditari seu mentaliter orare, nihil est aliud, quàm attentâ mente res pias & spirituales considerare atque expendere: ut ex eorum consideratione pius affectus excitetur in voluntate, & voluntate permotâ homo declinet à malo, & faciat bonum. Hoc fine adhibentur tres animæ potentiæ. Memoria reminiscitur vel cogitat aliquod mysterium divinum ex vita Christi, aliudve punctum spirituale, illudq; repræsentat ac quasi proponit intellectui. Intellectus deinde illud examinat & circumstantias ex-

pendit. Quis, quid, ubi &c. Voluntas deni-
que è re bene perpensa pium affectum elicit,
v.g. odium peccati, amorem virtutis, hu-
militatis, patientiæ &c. propositáque for-
mat.

I. Ante meditationem servanda. 1. Pri-
die sub vesperum meditationis puncta ex
P. de Ponte, Megero, Avancino, alióve libro
lege & obiter memoriæ imprime. 2. Se-
quenti mane eadem puncta relege & affe-
ctus eliciendos prævide. 3. Statue te in
præsentia Dei, eliciendo actum fidei, & cum
dicendo vivit Dominus in cujus conspectu
sto.

II. Sub ipsa meditatione 1. Flexis geni-
bus recita orationem præparatoriam:
Actiones nostras quæsumus Domine aspi-
rando præveni &c. aut Hymnum Veni
creator. II. Deinde subjungenda ex mente
S. Ignatii duo vel tria præludia, velut dispo-
sitiones præviæ phantasiam, intellectumq;
continentes, ne tam facilè evagentur. In
primo præludio percurritur breviter histo-
ria, v.g. Christi nascentis aut patientis. In
secundo per imaginationem repræsentamus
nobis vel rem gestam, vel locum in quo my-
sterium

sterium præsens peractum est; v.g. stabulum Bethlehemiticum, aut montem Calvariæ. In tertio rursum petitur gratia propositæ meditationis puncta, cum attentione & fructu expendendi: singula verò præludia circiter spatio unius salutationis angelicæ absolvi queunt. III. Finitis præludiis primum meditationis punctum memoria exhibet intellectui: intellectus circa illud discurrit, ruminat, expendit, examinat causas, circumstantias, effectus, aliáque ad movendam voluntatem accommodata. Post hæc voluntas convenientes materiæ vel personæ affectus excitat, ac proposita efficacia efformat. Atque ita ad secundum, tertiúmque punctum progrediendum, idemq; præstandum est. Quod si in uno puncto gustus & devotio quæsita reperiatur, necessè non est anxiè ad alia transcurrere, donec gustui & devotioni feceris satis. IV. In fine meditationis instituitur colloquium vel ad SS. Trinitatem, vel Christum Dominum, vel B. V. &c. in quo gratia petitur, ea quæ cognita sunt vel statuta exequendi. V. Absoluta meditatione brevis instituitur recollectio & examen de successu: utrum me

monia, intellectus, voluntas officiis suis perfunctæ, an verò defectus commissi, & dolor excitatur. Lumina rariora, & veritates, affectus proposita breviter annotantur.

Si meditari placeat de aliqua S. Scripturæ sententia, dividenda est in tres partes, singulaq; expendendæ & affectus subjungendi. Si verò meditari lubeat de quapiam virtute, considerandum 1. In quo consistat, quinam ejus præcipui actus. 2. Quanta ejus amabilitas, honestas, utilitas, jucunditas, necessitas. 3. Exempla Christi, B. V. Sanctorum. Et subjungendi affectus. In meditatione de vita cujusdam Sancti in ejus festo: 1. considerandæ ejus vocatio, electio, dona & talenta naturæ & gratiæ à Deo concessa. Ubi pro affectu servit, gratulatio, gratiarum actio &c. 2. Sancti cooperatio, ejusdem oratio, mortificatio, usus sacramentorum, virtutum &c. Affectus desiderium imitandi. 3. Præmium & corona in cœlis. Affectus gaudii, spei &c. Pro praxi meditationem unam annecto.

Medi-

Meditatio.

De Potestate, Dignitate, & Sanctitate Sacerdotali.

Oratio præparatoria recitanda: Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni &c. *aut* Veni creator Spiritus, &c.

Præludium I. *Percurre breviter animo historiam ultimæ cœnæ Dominicæ.*

Præludium II. Imaginare tibi cœnaculum grande stratum, in quo Salvator cũ Apostolis duodecim mensæ accumbit, Corporis & sanguinis sui sacramentum instituit, & eosdem potestate & dignitate sacerdotali exornat.

Præludium III. Gratiam divinam efflagita, potestatem, dignitatem & sanctitatem hanc cum fructu expendendi.

Punctum I. de Potestate Sacerdotali.

Expende hujus potestatis à Christo collatæ circumstantias. I. Quis *ille est cui hæc potestas consecrandi & absolvendi confertur? Est ille non Angelus aut Archangelus, non Cherubinus aut Seraphinus sed homo de humo creatus; homo, inquam, qui quasi*

flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra: homo, folium, quod vento rapitur, stipula sicca, aquæ bulla, quam ubi is qui eam inflavit animavitq3, spiritus destituit, mox sponte resoluta evanescit. Quanta hîc humilitatis & gratitudinis materies? 2. Quid? Hoc facite: sed quid? non vastam mundi machinam, non globos cœlestes, non solem, lunam & sidera; sed Corpus Christi nobilissimum, & sanguinem ejus pretiosissimum. Hoc facite, ut ille quem infiniti cœlorum orbes non capiunt, parvo capiatur orbiculo; ut ille qui regnat in gloria, inglorius quodammodo sistatur in ara: ut ille cui venti & mare obediunt & omnia, voci hominis obediat. Hoc facite: Ut panis & vinum transsubstantietur, longè majori prodigio, quàm cùm aqua conversa est in vinum Joan. 2. Aut aquæ fluminum in sanguinem, aut Virga Moysis in Serpentem. Exodi 7. Quanta hîc ansa admirationis & stuporis? 3. Ubi? In Asia, in Africa, in America, in Europa, in terra, in mari, in aëre, in omni loco sacrificari & offerri potest hæc oblatio munda. 4. Quibus auxiliis? Non magno molimine aut labore; sed linguæ &

oris

oris motu, sed quatuor aut quinq; vocularum prolatione (quemadmodum olim cœli terræq; creatio) excelsa hæc mysteria peraguntur. 5. Cur? *quo fine? Ob gloriam sanctissimæ Triados; ob nimiam charitatem quâ dilexit nos; ob impetrationem veniæ peccatoribus, augmenti gratiæ justis; refrigerii animabus purgantibus; gaudii & lætitiæ Cœlitibus.* 6. Quomodo? *Quantâ facilitate, quantâ certitudine, quantâ sacerdotis authoritate hæc prodigiosa mysteria peraguntur; obediente Deo voci hominis, non secus ac Josue imperio sol & luna steterunt. Josue c.* 10. 7. Quando? *Indies toto vitæ sacerdotis tempore. Imò durabit hæc potestas in mundo usque ad consummationem seculi. Subjungi possunt varii affectus, vel fidei, vel humilitatis, vel gratiarum actionis, vel alii.*

Affectus & actus fidei & gratitudinis.

CRedo Domine Jesu, & infallibilibus verbis tuis firmiter assentior, te Apostolis tuis & eorundem successoribus, tam sublimem admirandamq; potestatem concessisse;

cessisse; quia tu es prima veritas fallere & falli nescia. Amplector animitùs Oecumenici Concilii à Spiritu sancto directi sententiam: si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit. sess. 22. can. 2. Hoc inquam credo, teneo, amplector, & contrariam hæreticorum opinionem rejicio, damno & anathematizo.

Affectus gratitudinis.

O Quanta mi Deus, me ingratum, gratiâ & favore prosequeris, dum sacerdotali potestate me beas! agnosco beneficium & summè æstimo, plus enim potestatis mihi indigno per hoc contulisti, quàm si universum orbem terrarum cœlo invehendi copiam fecisses, plus virtutis concessisti, quàm si Tartarum totum exhauriendi, & damnatos beatitudine donandi facultatem dedisses. Ego sanè mi Jesu, memor â memor ero tui, & in æternum non obliviscar tanti beneficii quo immeritum affeciisti

dum

dum in sacerdotem unxisti, & inter Christos tuos me annumerasti, elevans de stercore pauperem & collocans eum cum principibus populi tui. Atque ut opere ipso animum gratum demonstrem: Propono: 1. Quoties ad Sacrificium me præparabo, memoriâ memor ero præparationis amoris & desiderii, quo desideresti hoc pascha manducare nobiscum, ut & ego desiderio aliquo & amore succendar. 2. Quoties ad altare accedam, memoriâ memor ero dolorosissimæ passionis ac mortis tuæ, ut præcepisti, & ne obliviscar, alba quam induo, vestem tuam illusoriam, casula purpuram, stola & manipulus funes & vincula, altare Golgotham, Calix passionem, corporale syndonem mortualem vivaciter repræsentabunt 3. Quoties ad aram consistam, Missæ partes, vitæ tuæ gesta ac virtutes cordi impriment. 4. Quoties à sacro gratiis agendis spiritum recolligam, memoriâ memor ero tui, & beneficii hujus magnitudinem gratus agnoscam, maximi faciam, omnique laudum & obsequiorum genere compensare allaborabo.

Collo-

Colloquium ad Iesum Eucharisticum

O Jesu amantissime, per infinitam cha ritatem tuam, quâ tantam mihi pa testatem conferre dignatus es, obsecr continuam tantæ dignationis tuæ memo riam in me excita, summamque æstima tionem elargire, ut iisdem ad cœlest hæc mysteria debitè peragenda, clarissi maque virtutum tuarum specimina im tanda succendar. Amen.

Punctum II. de dignitate Sacerdotali.

Considera quanta sit sacerdotum dig nitas: est enim 1. *major excellen tiâ regiâ, quæ mundana solium & terre na est, illa verò spiritualis & cœlesti Quantùm aurum superat plumbum, tan tùm sacerdotalis dignitas regiam exce dit, (inquit S. Ambros. lib. de dign sacerd. cùm videas Regum & Principum colla submitti genibus sacerdotum:* 2. *Præstan tior est sacerdotio veteri, quod oves & h ves immolabat, non ipsum agnum immo sulatum, Dei filium.* 3. *Nobilior est Pat*

archa

archarum & Prophetarum functionibus, quibus nec absolvendi, nec consecrandi potestas concessa unquam fuit. 4. *Sublimior est Ioannis Baptistæ dignitate, qui baptizando semel Christi verticem tetigit, semel agnum Dei digito demonstravit: Sacerdotes verò novæ legis toties eum demonstrant, tangunt, elevant, sumunt.* 5. *Excellentior denique est, Angelicâ, qui sidera & cœlos movent, Sacerdos verò siderum & cœlorum conditorem; ideóque Angelus Domini exercituum nominatur. Malach.* 2. *Denique ipsius Christi Domini personam sustinet, ejus vestimenta gerit, ejus nomine & authoritate pronuntiat: Ego te absolvo. Hoc est Corpus meum.*

Affectus admirationis, exhortationis, pudoris.

O Veneranda Sacerdotum dignatas! in quorum manibus velut in utero Virginis Dei Filius incarnatur! O sacrum & cœleste mysterium, quod per vos Pater & Filius & Spiritus S. operatur! uno eodemque momento, idem Deus, qui præsidet in cœlis, in manibus vestris est

in

in Sacramento Altaris. O Venerabilis sanctitudo manuum! ô felix exercitium! ô verè mundi gaudium! Christus tractat Christum, id est Sacerdos Dei Filium, cujus deliciæ sunt esse cum Filiis hominum; & quod datum non est Angelis, concessum est homini. Sacerdos enim hoc ineffabile conficit mysterium, & Angeli conficienti sibi quasi famuli assistunt. Super hoc tam insigni privilegio, stupet cœlum, miratur terra, veretur homo, horret infernus, contremiscit Diabolus, & veneratur quàm plurimum Angelica celsitudo, S. August. vel potius Joan. Betsius in 4. Decal. præcept.

Verùm ô anime mi! an non par esset vitam & mores tuos dignitati tantæ respondere? ne sit honor sublimis, & vita difformis, Deifica professio, & illicita actio! Si turpe est, Regem abjecto sceptro & diademate stabularium agere, aut more brutorum vivere; quæ turpitudo erit, sacerdotio regali insignitum vitam degenerem instituere, aut inter pocula belluino more versari? An non æquum foret, te Patriarcharum fidem, Prophe-

tarum

tarum spem, Præcursoris Domini temperantiam, puritatem Angelicam, denique ipsiusmet Salvatoris, vitam, mores, virtutes pro viribus imitari contendere? Hoc si neglexisti, pudore suffundere: qui alios mundasti, forsan immundus ipse, alios sanctificasti, forsan profanus ipse, aliis viam salutis ostendisti, aberrans ipse Pastor & idolum; abominatio in loco sancto.

Colloquium & petitio ad Christum.

O Rex Regum & Domine Dominantium, qui me ad præcelsam regiamque Presbyterii dignitatem evexisti, concede ut vitam eo munere dignam instituam, Regis instar omnibus vitiis & passionibus meis dominer; Sacerdotum antiquorum, Patriarcharum, Prophetarum & Angelorum sanctitatem & veritatem æmuler, personámque tuam ita sustineam, tamque perfectis moribus exornem, ut omnes videntes laudent & glorificent Deum, qui dedit talem potestatem & dignitatem hominibus.

PUNC-

PUNCTUM III.

De Sanctitate Sacerdotali.

EXpende ulterius & infer, quantam tanta potestas & dignitas vitæ sanctimoniam exigat: si enim S.Petrus 1.Ep.c. 1 velit omnes Christianos in omni conversatione sanctos esse, quantò magis requiret, ut regale Sacerdotium sit gens sancta, ut scriptum est, & Sancti eritis quoniam ego sanctus sum. Cùm vero hæc sanctitas in puritate à vitiis, & in excellenti charitatis, aliarumq; virtutum gradu consistat. Requiritur: Puritas à peccatis lethalibus; sacerdos enim peccato lethali fœdatus, monstrum est abominabile, & diaboli mancipium foris Agni immaculati vestes induens, & intus lupi truculenti formam gerens; qui ferens corpus & animam Christi, Alissimo, & proprium corpus & animum Lucifero; alios per Sacramenta emundans; & seipsum peccatorum sordibus conspurcans hostes Dei Deo reconcilians, & seipsum Dei inimicum constituens: denique Chri-

stum

stum Dominum peccatis denuò crucifigens, & paulò post Crucifixum Patri manibus adhuc cruentis præsentans. 2. Requiritur Puritas à peccatis venialibus præsertim deliberatis: pulveres & aranearum telæ tolerandæ non sunt in calicibus, multò minùs in vasis & calicibus vivis. 3. Puritas à Passionibus indomitis, ut sacerdotis animi limpidissimæ instar aquæ pellucidi & radiis cœlestibus in oratione recipiendis idonei sint, non velut mare fluctibus agitatum turbulenti. 4. Modestia & gravitas, in vestibus, in gestibus, motibus, verbis, & compositione totius corporis, juncta cum odore boni exempli. Vos estis lux mundi, Matth. 5. ergo implete officium, & lucete. Vos estis sal terræ: ergo peccatores condite, putores extinguite, corruptiones arcete. Vos estis populi amussis, & regula; vos forma; populus cera: Ergo facti forma gregis ex animo (1. Petri 5.) illum bene formate & fingite. 5. Castitas Angelica, hanc exigit oratio, psalmodia, Sacramenta, ipse præsertim Agnus immaculatus, & castissimus Virginis Filius,

quem

quem toties tangitis & sumitis: ne duplici scelere, altero contra præceptum Dei, altero contra votum vel præceptum Ecclesiæ maculemini. 6. *Temperantia, ob sanitatem conservandam*: In multis *enim* esca non deerit infirmitas, qui autem abstinens est, adjiciet vitam. *Eccli.* 37. *Deinde ob castitatem defendendam*: *nam* Dum venter satietate extenditur, aculei libidinis excitantur. *S. Augustin. Denique ob sacerdotalia officia ritè obeunda, absolutionis, consecrationis, prædicationis.* An non confusio & ignominia est Jesum Christum Crucifixum, pauperem, & esurientem factis prædicare corporibus & jejuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiáque ora proferre? 7. *Liberalitas in pauperes. Quod de patrimonio Christi supereſt, Christi membris egentibus distribuendum est. Nam S. Bernard. Epist.* 2. *ad Fulc. scribit: Quid quæso præter necessarium victum & simplicem amictum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* 8. *Denique ardens devotio & charitas.*

Pro affectu excita in te desiderium

amore

amorem & zelum prædictarum virtutum & in colloquio eadem ferventer flagita.

Colloquium ad Christum.

LAva me, Jesu amantissime, & sanguine tuo à peccatis meis munda me; atque imple quod per Malachiam c. 3. de te promissum, prædictumque est: Et purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum & argentum, & erunt Deo offerentes sacrificia in justitia. Purga me ut aurum, à voluntariis excessibus, etiam minimis; cola me quasi argentum ab omni passionum scoria, & omnium sacerdotalium virtutum gemmis me exorna, ut in justitia consummata & sanctitate perfecta sacrificium offeram. Amen.

De tribus modis orandi.

Post meditationem S. Ignatius in libello Exercitiorum docet triplicem orandi methodum, meditationi affinem; sacerdotibus, qui vel varietate delectantur, vel ingenio ad alta mysteria meditanda destituuntur, perutilem.

Primus orandi modus.

Versatur hic orandi modus, circa de-
cem Decalogi præcepta, aut præcepta Ec-
elesiæ, aut peccata capitalia, aut potenti-
as animæ, aut denique circa 5. sensu-
Praxis expedita est hæc:

1. *Statue te in præsentia Dei, atqu-*
orationem præparatoriam præmitte, qu-
gratiam postules peccata detestandi &
emendandi. 2. *Expende v.g. primum De-*
calogi præceptum spatio circiter trium ora-
tionum Dominicarum, ac dispice quid ho-
præceptum contineat, quî à te observa-
tum hactenus aut violatum, déque tran-
gressionibus dolorem intimum concip-
subjunctâ oratione Dominica. Deind-
progredere eodem modum ad præceptu-
secundum, & tertium ac reliqua, i-
præcepto inhærendo diutiùs, quod sæp-
us es transgressus. Praxin exemplo d-
claro.

Primo Decalogi præcepto mand-
Deus: *Ego sum Dominus Deus tu-*
non habebis Deos alienos coram me
quo exigit, ut ipsum solum, Deum, D-
minu-

minum, ac summum Bonum nostrum agnoscamus, amemus & colamus. Ego verò quoties justissimum hoc Dei mei mandatum prævaricatus sum! dum ipso spreto, creaturæ adhæsi, eámque plùs colui & amavi, quàm Deum? ô quàm doleo Deus meus! utinam te summum Bonum meum, te spiritum pulcherrimum, præstantissimum, nobilissimum & perfectissimum super omnia semper amássem & coluissem, rebusque omnibus prætulissem! Altera præcepti parte vetat Deus idola adoranda sculpere. Et quoties id transgressus sum! quot idola in corde meo sculpsi & fabricavi? Idolum meum aliquando fuit propria excellentia; cui servivi per ambitionem & superbiam: idolum meum fuit proprium judicium, cui servivi subinde per contumaciam: idolum meum fuit voluntas propria, cui servivi per inobedientiam: idolum meum fuit venter & gula, cui servivi per ebrietatem & crapulam: idolum meum fuit voluptas carnis, cui servivi per luxuriam. Denique idolum meum fuit iracundia & quæcunque passio inordinata, cui servivi,

cujus objectum colui & adoravi per
ferveſcentiam aut concupiſcentiam. D
leo, mi Deus, ex animo, de ſpiritu
hac idololatria mea, eamque damno
ſubmiſséque gratiam flagito, extermin
tis è templo cordis mei idolis omnib
te ſolum Deum verum & vivum u
cè deinceps colendi & adorandi. Am
Pater noſter.

Secundus orandi modus.

*Refricatâ per actum fidei Dei præſe
memoriâ, recitatâque oratione præpa
toriâ; aggredere orationem Dominica
aliámve, & in ejuſdem verbo aut ſe
quolibet inhære, quamdiu variæ ſign
cationes, ſimilitudines, guſtus ſpiritu
les, motúſque pii & affectus incidunt:
abſoluto, idem in ſequentibus facito
dum: nec anxiè tranſcurrendum ad al
ſi in uno devotio affluat, licet in pauc
verbis hora integra abſumenda foret;
caſu, reliqua curſim abſolvuntur.*

Praxis exemplo declarata.

Pater noſter. Tu es verè Pater noſ
Creator noſter, Redemptor noſter,
bonorum omnium largitor: tu enim
con

condidisti è nihilo; tu venundatos sub peccato, ab æterna morte vindicasti: tu bonis omnibus naturæ & gratiæ nos ditasti. *Qui es in cœlis*; ubique quidem es per essentiam, præsentiam & potentiam; sed in cœlis es insuper peculiari ratione per gloriam: ibi te manifestas Electis, ibi perfectè cognoscéris & amaris, benediceris & glorificaris, ibi regnas & triumphas in secula. *Sanctificetur nomen tuum*, quidquid es & nominaris, sanctificetur in hominibus, mortales omnes, te indies magìs magisque cognoscant, ament, timeant, laudent & benedicant, in omnibus mundi Regnis & Provinciis, usque ad consummationem seculi. *Adveniat Regnum tuum*: regnum gratiæ, regnum virtutum, per quod in me, omniumque cordibus regnes & regnum gloriæ cœlestis: exulet regnum Diaboli, Mundi, Carnis, &c.

Modus hic orandi mirificè mentem illustrat, affectum excitat, & dulcedinem in singulis partibus latentem gustare facit: multóque fortasse melius est, hoc modo semel orationem Dominicam recitare,

quàm vigesies cursim & cum exiguâ tentione. Ita orabat S. Franciscus Ser phicus. Hunc modum orandi val commendat S. Ignatius: & facile ad quibusvis hymnis, psalmis, & versicu accommodari potest.

Tertius modus orandi.

Peractâ oratione præparatoria, fide præsentiæ Dei excitatâ, oratio cujuscunque voces, velut per sing las respirandi vices transmitte, diutius immorando, uni voci, qu duret respiratio; expendendo inter vel significatione vocis, vel perso ad quam oratio dirigitur, dignitat vel propria vilitate, vel postremò m usque differentiâ.

Praxis exemplo declarata.

Ave, ex toto cordis affectu, salv gaude, lætare. *Maria*, Domi Regina, stella Maris. *Gratiâ ple* plena fide, spe, charitate, hum tate, omnibúsque virtutibus, m gratiarum. *Dominus tecum*, per g tu

tiam, incarnationem & amicitiam specialem. *Benedicta tu in mulieribus*, ab omnibus illarum maledictis libera, omni benedictione cœlesti repleta. *Et benedictus fructus ventris tui*, benedicatur & laudetur ab omnibus Angelis & hominibus, Patriarchis & Prophetis in æternum. *Sancta Maria Mater Dei*, & Mater nostra amabilis, admirabilis, dulcissima, amantissima. *Ora*, instanter, efficaciter, indesinenter Filium tuum dilectissimum. *Pro nobis peccatoribus*, indignis exauditione & veniâ; supplicio & pœnâ dignissimis. *Nunc*, ut vitam emendemus & sanctè vivamus. *Et in hora mortis nostræ*, ut sanctè moriamur

Amen.

HORA V.

PRAXIS

Orandi ad horæ sonum.

Ave Maria &c. O Deus (*) propitius esto mihi peccatori! (*) *reflecte ad peccata commissa.*)

Omnipotens faustam donet mortalibus horam. Et fidelium animæ, per misericordiam Dei requiescant in pace. *Renova affectum examinis particularis. Perfectionis studiosior addere poterit sequentia quæ omnes necessarios affectus ad Deum & divina comprehendunt.*

1. Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in secula.

2. Expurga nos omnipotens & misericors Deus ab omnibus culpis, pœnis, & peccatorum reliquiis.

3. Converte quàm plurimos à vita impia ad piam & à pia ad apicem perfectionis.

4. Fac nos, mi Deus, vivere & mori ad amussim perfectissimæ sanctitatis.

5. Ad laudem & gloriam tuam dirigantur

gantur omnia nostra verba, cogitationes & opera, in odorem suavitatis.

6. Agimus tibi gratias misericors Deus pro omnibus beneficiis tuis manifestis & occultis.

7. Domine miserere omnibus preces meas desiderantibus præsertim amicis & inimicis.

8. Omnes Sancti & Sanctæ intercedite pro nobis.

9. Adjuva nos, omnipotens Deus, in omnibus necessitatibus animæ & corporis.

10. Et benedictio tua ✠ sit super nos semper, præsertim in hora mortis.

Hoc dicendo crucis signum exprime cum tenero affectu & reverentiâ erga crucem Christi, & fiduciâ erga liberalitatem divinam, quæ ob merita Christi Crucifixi omnia nobis gratiæ dona largitur.

Hæc prima specie videntur multa, sed qui contraxit habitum, & bene memoriæ mandavit, celerrimè sine jactura temporis expedire potest, præsertim si sit solus.

Quando perfectus eris addes etiam exemplo S. Ignatii & S. Borromæi brevissimum conscientiæ examen de hora traducta.

Non clamor sed amor regnat in aure Dei
Henr. Causé sculp.
septies in die laudem dixi tibi. psal: 118.

PSAL

PSALTERIUM ECCLESIASTICUM

In Horas Canonicas distinctum.

§. I.

De obligatione Sacerdotum ad pensum Horarum.

ETsi hominibus omnibus debitum incumbit Deum religiosis obsequiis colendi, selegit tamen Deus ex his nonnullos specialiter, & per Ecclesiam ad sacram hanc functionem stabiliter obeundam deputavit; ut totius Ecclesiæ nomine & vice, horarium pensum velut debitum à toto corpore mystico tributum persolverent, & bona donáque cœlestia Reipublicæ Christianæ ab eo impetrarent. Duplex enim munus Sacerdotes, vi Ordinis, ab Ecclesia obtinent, primum sacrificandi, alterum pro Ecclesiæ necessitatibus per officium Divinum deprecandi: atque hinc oritur, ut licet Sacerdos sit in peccato, & ex propriis meritis preces ejus pro illo statu impetratoriæ non sint; oratio tamen ejus, ut est à publico

Ministro, habens adjunctas preces & me-
rita Ecclesiæ, est apud Deum impetrato-
ria; quia nititur meritis & sanctitate Ec-
clesiæ, ad quam Deus respicit. Ideóque Sa-
cerdoti non legitimè impedito, absque grav-
peccato non licet horas, aut notabilem
earum partem intermittere.

§. III.

De tempore Horarum.

PRopheta Regius, *licèt regni totius ne-*
gotiis distentus, septies tamen in die
laudem dixit Domino Psalm. 128. *Tres*
pueri cum Daniele in precibus celebrandis
observârunt horam tertiam, sextam &
nonam: sed Ecclesia (ut docet S. Cyprian.
sub finem orat. Domin.) pluribus à Deo
beneficiis exornata quàm olim Synagoga
septem orandi tempora servanda statuit.
S. Clemens L. 8. *Constitut. Apost. c.* 34. *or-*
dinat: Preces vestras facite, Diluculo,
tertiâ horâ, sextâ, nonâ, vespere, & in galli
cantu. *Diluculo gratias agentes, quoni-*
am illuminavit nos Dominus, expulsâ
nocte & inducto die. Tertiâ: *quoniam*
illâ horâ Dominus sententiam Pilati ac-
cepit.

cepit. Sextâ: *quoniam tunc Crucifixus est.* Nonâ: *Quoniam omnia commota sunt Crucifixo Domino:* Vespere. *Gratias agentes, quod dederit nobis diurnorum laborum requiem.* In Galli Cantu, *quoniam illo tempore nuntiatur adventus diei ad exercenda opera lucis. Antiqui noctu surrexerunt, & hodiedum multi viri religiosi, ut, (quemadmodum scribit in Regulis fus. disput. S. Basilius) imitentur Dominum nostrum, qui sæpe in oratione pernoctavit, & recogitemus eum noctu natum, & per Angelos Pastoribus annuntiatum; Alii singulis Passionis Dominicæ mysteriis horas diversas attribuunt.*

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis:

Matutina *ligat Christum, qui crimina laxat;*
Prima *replet sputis: causam dat* Tertia *mortis:*
Sexta *Cruci nectit; latus ejus* Nona *bipertit;*
Vespera *deponit; tumulo* Completa *reponit.*

§. III.

Causæ instituti officii.

ASsignat eas S. Bonaventura in opusc. de sex aliis Seraphim. c. 8. *Prima est Ut Ecclesia militans imitaretur morem Triumphantis: in qua Isaias vidit Seraphinos, alterum ad alterum clamâsse, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Cùm enim Christus realiter sit in Sanctissimo Altaris Sacramento, æquum est, ut sint constituti Ministri qui ejus præsentiæ assistant, ejusq; laudes decantent. II. Ut esset perpetua divinorum beneficiorum memoria, laus & gratiarum actio. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Psalm. III. Ut orationis exercitium, maximâ quâ posset frequentiâ continuaretur; quòd miseriæ & necessitates, tam communes, quam privatæ sint continuæ. IV. Plebs, quæ parum scit, parúmque delectatur hoc exercitio orandi & laudandi Deum, ei assuescat, accedens ad Ecclesiam constitutis horis. V. Quia id spectat ad Ecclesiæ Catholicæ, & Religionis Christianæ decorem: si enim Gentiles convenient*

in templis ad laudandos & adorandos falsos Deos, multò magis est rationi consentaneum, ut Christiani conveniamus ad laudandum Deum verum. Si etiam Antiquæ Legis Fideles, suas quoque in Synagogis congregationes habebant; multò magis justum est, ut Christiani in Templis conveniant, Deumque laudent. Hæc Doctor Seraphicus.

Offerimus autem laudes Deo in die septies, ad obtinenda septem dona spiritûs Sancti, adversus septem spiritus nequiores & septem peccata capitalia, & venialia, in quæ septies in die cadet justus, præcavenda; & deprecanda per septem hebdomadæ dies ac per septem orationis Dominicæ petitiones, aliósque psalmos & hymnos.

§. IV.

Modus psallendi aut recitandi officium.

REx David Psalm. 46. *quinquies repetendo*, Psallite: *insinuat rectè psallendi modos: Psallite Deo nostro, psallite; psallite Regi nostro, psallite: quoniam omnis terræ Deus, psallite sapienter. Itaq;*

I. Psal-

I. *Psallite* Distinctè *quoad vocem, verb*
non absorbendo, non truncando, non tra
ponendo, non præcipitando, aut nimiùm
festinando: loquimini enim cum Rege Re
gum & Domino Dominantium.

II. *Psallite* Attentè, *quoad memoriam*
attendendo vel ad verba, vel ad sensum
vel ad Deum. Quomodo enim à Deo audi
te postulas, qui te ipsum non audis? a
S. Cyprianus.

III. *Psallite* Intelligenter *quoad intel*
lectum, ut sensum verborum intelligati
mysteria cognoscatis, & latente in eo spiri
tu fruamini. Serviet ad hoc Lectio inter
pretum Psalmorum. Dionysii Carth. Bella
mini, Lorini, Tirini, Le Blanc. &c.

IV. *Psallite* Ardenter *quoad voluntat*
tem, non tepidè & oscitanter, non somno
lentè, ut monet S. Bernard. serm. 47 i
Cantica: Moneo vos, inquit, Dilectis
simi, purè semper ac strenuè divinis intu
esse laudibus &c.

V. *Psallite* Reverenter, *quoad totius*
corporis compositionem; alternatim stando
& flectendo; non interloquendo sine necessi
tate, non subridendo, nugando oculis
evagando

evagando, sed Seraphinorum more summa cum reverentia & tremore Dominum Deum exercituum laudando. Ad quod conducent sequentes considerationcula.

§. V.

Motiva ad piè psallendum vel orandum Horas.

DUm ante recitationem, vel cantum subinde paulisper exspectandum est in choro, animum collige, unúmque ex sequentibus motivis aliquantulùm rumina, ut ad ferventiùs psallendum accendaris.

Motivum I. Author.

OFficii Author est ipse Spiritus Sanctus, cujus numine afflati Viri sancti oracula edidêre, ex quibus officium conflatum est. Hinc illud legens vel cantans, numinis ipsius verba, vocésque efferre te cogita; quibus si mens non respondeat; sed temerè huc, illuc evagetur, quasi trita & inutilia mali Poetæ carmina recitaret; patet, gravem Deo injuriam inferri.

Moti-

Motivum II. Materia.

Materia officii sunt psalmi, hymni, a
tiones, lectiones, nucleus & medu
sacræ Scripturæ, ac flores selectissimi
Patrum: quæ modò altissima SSS. Trini
tis, Incarnationis & passionis mysteria p
ponunt; modò salutaria vitæ monita
dunt; modò in fidei, spei & charit
actus erumpunt. Quàm igitur inde
est, tam alta, tam sancta, minori at
tione tractare, quàm profana, negoti
secularia!

Motivum III. Finis.

Finis, quem Spiritus Sanctus &
clesia in officii Divini institutione
tendit est Dei gloria, & nostra neces
atq; utilitas. Cogita igitur Majesta
divinam, tum propter infinitam pe
ctionem suam, tum propter summam
ralitatem suam nunquam sufficient
ulla creatura laudari posse. Glorif
Dominum, quantumcumque potestis,
pervalebit enim adhuc admirabilis ma
ficentia ejus. Eccli. 43.

Motivum IV. Necessitas.

COgita quanta sit multitudo & magnitudo necessitatum communium & privatarum, miseriarum corporis & animæ, morborum, hæresum, peccatorum, calamitatum, persecutionum, tentationum, periculorum, quibus tota per orbem terrarum Ecclesia militans involvitur & penè obruitur. An non hæc jure fervorem orationis exigunt?

Motivum V. Utilitas.

EXpende quot, in pia attentáque officii persolutione, actus fidei, spei, charitatis, religionis, gratitudinis, aliarúmque virtutum exerceas; ac proinde quot gradus gratiæ & gloriæ acquiras, quot charismata, dona & auxilia tibi aliísque compares.

Motivum VI. Dignitas.

COnsidera quanta dignitas sit, populi totius nomine velut legatum mitti ad Divinam Majestatem, de negotiis gravissimis tractaturum, ut de æternâ hominum salute, de liberatione eorum è captivitate Diaboli, de ereptione ex æternis Orci incen-

incendiis, de obtinendo regno cœlesti, de eximendis animabus è carcere flammarum purgantium. An non par est talis legationis munere, summo studio, diligentiaque perfungi?

Motivum VII. Felicitas.

Vide quanta sit felicitas tua, cui prae aliis, secularibus mundi negotiis implicatis, per gratiam vocationis tuæ conceditur & pia voluntas, & prompta facultas agendi & loquendi cum Divina Majestate, pro te, aliisq; deprecandi, angelicósque Choros imitandi laudando & glorificando Deum.

Motivum VIII. Jucunditas.

Dispice quanta animæ Deum amanti jucunditas sit, in conspectu Angelorum psallere, & cum jubilo cordis, cum illustratione mentis, cum inflammatione voluntatis, lætum alleluja toties cantare, Deum cum solatio & exultatione benedicere & glorificare: Gustate & videte.

Motivum IX. Præsentia Dei.

Recordare te versari in conspectu Numinis, cordis scrutantis, singula obser-

vanti

vantis, omnia judicantis, & pro meritis, vel remunerantis, vel punientis. Si itaq; sola Dei præsentia & aspectus propter summam Numinis Divini excellentiam, summam exigit reverentiam: quantò magis si vel Majestas illa te alloquatur, vel tu vermiculus illam?

Motivum X. Exemplum Beatorum.

PRopone tibi sæpius fervorem inexplicabilem Civium cœlestis Hierosolymæ, Deum sine fine laudantium: Beati qui habitant in Domo tua, Domine; in secula seculorum laudabunt te. psalm. 83. Hos æmulare.

Motivum XI Contrarium Damnatorum.

APprehende vivaciter tot millena millia Damnatorum & Diabolorum die & nocte non cessare Deum maledicere, blasphemare, & execrari; An non æquum foret nos mortales tantam mephitin devotionis fragrantiâ, & orationis incensa suffumigare?

Motivum XII. Malitia Peccatorum.

SImiliter corâi sume tot millia Ethnicorum, Judæorum, Hæreticorum, aliorúmque

que Mundi peccatorum, qui eo tempore quo tu psallis, Deum gravissimè offendunt imprecationibus, juramentis, blasphemiis aliisque linguæ à Gehenna inflammatis sceleribus. An non æquissimum foret, ut hi Numinis offensas & injurias deprecari, & oppositis laudibus ac benedictionibus, pro viribus compensare studeas?

§. VI.

Præstanda ante Officium Divinum aliáque orationes vocales.

I. *ANte orationem præpara animam tuam, ne sis quasi homo tentans Deum.* Eccli. 18. *Unde si peccati cujusdam gravioris conscientia te redarguat, contritionem elice; non enim est speciosa laus in ore peccatoris: Ne audias illud psal. 49. Peccatori dixit Deus, quare tu enarras justitias meas?*

II. *Excita desiderium quàm fervent[issi]mè laudandi. Benedicite Dominum quantum potestis major enim est omni laus. Eccli. 43. Juvabit, si tempus ferat, consideratio alicujus motivi ex antedictis.*

III. Pr[æ]

III. *Protestare coram Deo, omnes occurrentes distractiones & evagationes animi, contra voluntatem tuam tibi eventuras.*

IV. *S. Angelum Custodem tibi præsentem compella; aliósque Cœlites ac creaturas ad Deum tecum glorificandum invita, dicens: Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum. Psal. 33.*

V. *Statue te in præsentia Dei: quod variis modis fieri potest.* 1. *Si concipias Deum tanquam Spiritum per omnia diffusum, omnia implentem & intuentem.* 2 *Si concipiatur tanquam Lux immensa intimè nobis præsens, & cum omnibus thesauris suis in cordis nostri centro & animæ fundo residens.* 3. *Concipi potest velut in cœlesti solio sedens luce infinita circumfusus & innumeris Angelorum Myriadibus, quomodo apparuit Danieli, S. Joanni, Isaiæ & aliis Proponi potest ob oculos Christus Dominus in humana specie, vel ut crucifixus, vel ut Judex in nubibus cœli. Et coram illo te humillimè prosterne, ad eum tanquam præsentem spectantem & audientem totam orationem*

dirige:

dirige : ac velut cum maximo Princip tractaturus accede , auxiliumq; ad m nus orandi dignè obeundum postula.

VI. *Forma intentionem , puriſſiman perfectiſſimam , & ſublimiſſimam. Atq ex praxibus quatuor ſubjunctis una elige, aut ſi varietas te delectet , diver anni temporibus, modò hanc , modò illa uſurpa.*

INTENTIO I.

Ante Horas Canonicas.

Ad Matutinum & Laudes.

OFfero Tibi humillimè , ô Sacroſa Octa Trinitas ! hoc officium ſervitu meæ, velut quadruplex ſacrificium, ex p ro amore amicitiæ in te Deum verum vivum , & quidem. I. Velut ſacrifici laudis, ad ſummum honorem & glori tuam , ad infinitum guſtum & benepla tum tuum. II. In humillimam & affec oſiſſimam gratiarum actionem pro om bus beneficiis, mihi & omnibus creat unquam collatis & conferendis per tot æternitatem, III. In ſatisfactionem o

nium peccatorum & negligentiarum mearum, omniumque hominum tam viventium, quàm defunctorum. IV. Ad impetrandam gratiam efficaciſſimam mihi & omnibus mortalibus ut te quàm perfectiſſimè cognoſcamus, amemus, colamus & glorificemus ad imitationem Sanctorum & Angelorum.

Oratio ex Breviario.

APeri Domine os meum, ad benedicendum nomen Sanctum tuum: munda quoque cor meum, &c. Domine in unione illius Divinæ intentionis. &c.

Ad Primam. III. VI. IX. *Veſperas & Completorium prædictam intentionem breviter renova hoc modo*: Offero ô SS. Trinitas Primam ad laudem & gloriam tuæ Divinitatis: in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis: in ſatisfactionem pro omnibus peccatis: ad perfectiſſimam impletionem divinæ tuæ voluntatis. Amen. *Vel breviſſimè.* Offero ad intentionem antedictam.

INTENTIO II.

Pro tempore Quadrageſimali.

AD Matutinum. Domine JESU in unione illius orationis, quam horto anguſtiatus Patri obtuliſti, & mentorum omnium, quæ Paſſionis noćte pertuliſti, offero tibi hoc matu næ laudis obſequium, ut illud accep digneris in compenſationem tot blaſp miarum.

Ad Primam. Domine JESU, in moriam ſputorum, alaparum, conv rum & illuſionum, quas initio diei nobis pertuliſti, hoc oris & vocis ob obſequium ſuſcipere ne dedigneris, ut æterno gratum ſit in unione tui amo

Ad Tertiam. Domine JESU, memoriam acerbiſſimæ flagellation ignominioſiſſimæ coronæ, te modò re & adorare cupio; & hoc ſit obſequ ſervitutis meæ, quo te Regem æter agnoſco & profiteor.

Ad Sextam. Domine JESU memoriam crucis acerbæ, quam laſti, & in qua te Patri hoſtiam obt

hoc laudis sacrificium à nobis suscipere & Patri offerre digneris, ut sit acceptum in oblationis tuæ unione.

Ad Nonam. Domine JESU, in memoriam cordis tui tribus horis in cruce angustiati, & post exspirationem lanceâ aperti, offero tibi precis & amoris obsequium, ut cor nostrum jungere digneris cordi tuo, amore inseparabili.

Ad Vesperas. Domine JESU, in memoriam capitis tui languidi, & corporis tui plagis undiq; affecti, è cruce in sinu Matris depositi hoc officium orationis suscipe, & tibi acceptum sit in unione dolorum Matris tuæ.

Ad Completorium. Domine JESU, in memoriam unctionis & sepulturæ tuæ sacræ accipe hoc extremum officium servitutis & orationis nostræ diurnæ, & ut tibi gratum sit, conjunge cum lacrymis, quas tibi tunc obtulerunt devotæ animæ.

INTENTIO III.

Tempore Paschali.

Matutinum offero ad honorem Jesu Christi Redemptoris mei glorio-

sè à mortuis resurgentis.

Laudes ad honorem Christi Patres è limbo liberantis, ac de mundo, carne & diabolo triumphantis.

Primam ad honorem Christi 40. diebus Discipulos instruentis & loquenti de regno Dei.

Tertiam ad honorem Christi ad cœlo ascendentis.

Sextam, ad honorem Christi Spiritu S. mittentis.

Nonam, ad Dexteram Patris sedent & in cœlo regnantis.

Vesperas, Advocatum pro nobis ap Patrem agentis.

Completorium, Venturi Judicis.

INTENTIO IV.

Reliquo anni tempore.

OFficium totum cedat ad gustum beneplacitum Divinæ Majestatis.

In unionem. Dominicâ. Oration & affectuum Christi Domini. Feria SS. Angelorum. Feria III. SS. triarcharum. Feria IV. SS. Apost tum. Feria V. Martyrum. Feria

Confessorum. Sabbatho. Virginum & Viduarum,

In gratiarum actionem pro beneficio. I. Creationis. II. Redemptionis. III. Vocationis ad fidem. IV. Justificationis. V. Vocationis ad statum. VI. Prædestinationis. VII. Glorificationis,

In Memoriam Mysterii. I. Resurrectionis & Ascensionis Domini. II. Nativitatis III. Vitæ privatæ. IV. Prædicationis. V. Ultimæ Cœnæ. VI. Passionis. VII. Sepulchri.

In detestationem & pœnitentiam peccatorum. I. Superbiæ, II. Avaritiæ. III. Luxuriæ. IV. Invidiæ. V. Gulæ. VI. Iræ. VII. Acediæ.

In Impetrationem. I. Septem virtutum, tum Theologicarum, tum Cardinalium. 2. Septem donorum Spiritûs Sancti, & 3. Septem operum misericordiæ.

In deprecationem. I. Pro cultoribus SS. Trinitatis. II. Pro amatoribus Animarum Purgatorii. III. Pro cultoribus Nominis Jesu. IV. Angelorum. V. SS. Sacramenti. VI. Passionis Domini. VII. B. V.

& S. Josephi. Vel I. Pro Pontifice. II. Pro Episcopis. III. Ecclesiasticis. IV. Religiosis. V. Conjugatis. VI. Viduis. VII. Virginibus. Vel I. Pro Regibus & Principibus. II. Animabus Purgatorii. III. Existentibus in peccato mortali. IV. Infidelibus & Hæreticis. V. Pro Parentibus & Cognatis. VI. Pro afflictis & inimicis. VII. Pro Agonizantibus.

§. VII.

Præstanda sub ipso officio.

I. *COnare devotionem, attentionem, intentionem actualem vel saltem virtualem continuare, aut aliquoties renovare, præsertim sub gloria Patri.*

II. *Excita subinde fiduciam, quod infallibiliter impetraturus sis ea, quæ per modò rectè oraveris. Fiducia autem hæc innititur potentiæ divinæ, quæ potest opem ferre, Sapientiæ quæ mille modos juvandi novit, Bonitati quæ vult succurrere; infallibili promissioni & veracitati actualitati divinæ, quæ nequit fallere. Quod autem promisit.* Matth. 7, Lucæ 11. Pet.

& accipietis, quærite, pulsate &c. Quis igitur diffidat, si rectè, si cum fervente fiducia, perseverantiâque oraverit?

III. Ad pronuntiationem nonnullorum nominum sæpius occurrentium, v.g. Deus, Dominus, alleluja &c. convenientes affectus elice, scilicet adorationis, timoris, amoris, laudis, gratitudinis, reverentiæ: Ad voces vero: Nos; Homines, vel miserias humanas indicantes, excita affectus humilitatis, contritionis, compassionis. Aut attende ad sensum literalem, aut spiritualem, & Davidem in psalmis præeuntem in affectus, sequere, ut suadet S. Augustinus Conc. 3. in psalm 30 cum ait: Psalmorum affectus nos exprimere oportet; timere cum timet Propheta, amare cum amat, laudare cum laudat, plorare cum plorat, postulare cum postulat, mentem ad Deum erigere, dum ille se erigit, nosmetipsos deprimere cum ille se deprimit. Hæc observando non erimus ex illis, de quibus scriptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Matth. 15.

§. VIII.

Præstanda post peractum Officium.

I. *Commissos defectus breviter examina, c contritionem elice, atque expia recitat ne Psalmi:* Laudate Dominum omnes gentes: *orationem ex Breviario* Sacrosanctæ & individ Trinitati: *quam devotè post officium recitanti Leo X defectus & culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit. De bono successu, gratias age.*

II. *Offer Sanctissimæ Trinitati peractum cium, cum meritis Christi, B V: & omnium S ctorum; ac utere oratiunculâ, quam, ut re Blosius in Monili spirit. c. 3. Christus* S. Ger *dem docuit.*

ORATIO.

BOne Jesu, propitius esto mihi peccat ego tepidum, distractum, & imper actum servitium meum commendo me fluo cordi tuo emendandum & perfici dum, tibiq; ipsum offero ad salutem o nium, in unione illius attentissimæ orat nis, quâ tu Patrem orasti & laudasti in t ris. Responde, quæso, satisfac, & supple me plenissimè. Amen.

Finio cum dicto Paludani: Officium ob pra impedimenta anticipare, est providentia: de tempore orare officium est obedientia: post debi tempus orare est negligentia.

HORA VI.

Praxis orandi ad trinum campanæ pulsum mane, quando Christus resurrexisse creditur.

I. REgina Cœli lætare alleluja. Ave Maria &c.

II. Quia quem meruisti portare; alleluja. Ave Maria, &c.

III. Resurrexit, sicut dixit, alleluja. Ave Maria &c

℣. Gaude & lætare Virgo Maria; alleluja.

℟. Quia surrexit Dominus verè, alleluja.

Subjungitur oratio Paschalis: Deus qui per Resurrectionem Filii tui, &c. *Alii manè orant.* Angelus Domini, &c. *ut habes infrà ad Horam VI. Vespertinam. Tempore tamen paschali, ut antè dictum.*

flevit amarè. Matth. 26.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

CAPUT I.

Præstanda ante Confessionem.

§. I.

Monita.

MOnitum I. *Sacramentum Pœnitentiæ est Fons ille, à Deo Ecclesiæ promissus per Zachariam Prophetam. c. 13.* Fons patens habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris. *Si igitur delicto aliquo maculatus sis, accede & ablue.* Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius. *Eccli. 5.*

Monitum II. *Elige Conscientiæ tuæ Arbitrum stabilem, eúmque magis pium, doctum, prudentem, cordatum & strenuum. Eligis in morbis Medicum expertissimum, in litibus Advocatum consultissimum, in navigatione periculosa Navarchum peritissimum; & animæ morbos, con-*

troversias, salutem minùs experto Medico, Judici, Gubernatori credes?

Monitum III. *Electo hujusmodi Arbitro, velut Christi Vicario, totam conscientiam tuam aperi*; & effunde sicut aquam cor tuum; *ut monet Ecclesiasticus*. Qui abscondit (*extenuat, palliat, colorat*) scelera non dirigetur *Proverb.* 28.

Monitum IV. *Eà contritionis amaritudine, doloris intensione, propositi firmitate conscientiam emacula, quâ paulò post morituras & Judici omniscio sistendus id faceres: & in particulari expende emendationis media & occasionum fugam & ut cordatum emendandi propositum demonstres in graviore delicto pœnam de se sume, aut in relapsu sumendam statue, orationem, jejunium, eleemosynam, silentium, disciplinam, duriorem cubationem &c.* Regnum cœlorum vim patitur. *Matth.* 11. *castiga corpus & in servitutem redige cum Doctore Gentium.*

Monitum V. *Peccata tua sæpius expia, si non alternis diebus, saltem semel isterúmque in hebdomade, per singulas enim exhomologeses auges gratiam, obtin-*

robu-

robur contra tentationes. Neque tantùm consitere labes, sed & labeculas, ut eò purior ad puritatis fontem accedas: si enim Sacerdotes Mosaici sacrificaturi quotidie se lavabant in vase æneo, ex speculis mulierum confecto, ut vel minimas labeculas abstergerent, quid faciendum incumbet Sacerdoti N.L. longè diviniora tractaturo?

Monitum VI. *Angustioris conscientiæ misericordiam Dei ob oculos ponat, séque ad fiduciām excitet.* Semel suspiravit David, dicens peccavi, & statim Deus peccatum transtulit. Ingemuit & pectus percussit Publicanus multis criminibus obnoxius, & citò descendit justificatus in domum suam. Decem millia talenta debebat servus nequam, qui procidens rogavit eum, & omne debitum dimisit ei. Mulier in adulterio deprehensa stetit tremens, dum accusaretur, & confusis adversariis, à damnatione eripuit eam. Magdalenæ pœnitenti, omnia scelera remisit, ita ut miraretur Pharisæus. Latro in cruce uno verbo emollivit viscera ejus, & statim paradisi particeps effectus est:

An non miserationes ejus super omnia op
ejus? Igitur: sentite de Domino in boni
& facite fructus dignos pœnitentiæ.

Monitum VII. *Laxioris verò*
justitiam divinam expendat: & aspi
I. stragem Angelorum quâ tot myri
ob unicum peccatum è cœlo in inferu
deturbati; non attentâ eorum multitu
ne, pulchritudine, laudibus æternis, qui
Deum affecissent, aut blasphemiis in
num secuturis. Videat Adamum cum
ta posteritate ob pomi esum è para
ejectum, jure regni cœlestis spoliatum
numeráque mala inde secuta bella, P
mortes, velut divinæ justitiæ execut
Consideret cataclysmum, exceptis
hominibus, totum orbem aquis suffo
tem. Sodomam & Gomorrham cum
& feminis, pueris & animantibus
phureo igne deletam. Core, Dathan &
ron, ob murmur contra Moysen & A
nem, terrâ dehiscente absorptos &
in infernum præcipitatos Et ad tan
divinorum judiciorum abyssum exp
scens dicat: Confige Domine timore tuo
nes meas, à judiciis enim tuis timui

terribilis es in consiliis super filios hominum: sed tamen justus in omnibus viis tuis, etiam dum unam cogitationem, unum dictum factúmve lethaliter malum, licet momentum temporis non excederet, æternis inferorum incendiis plectis.

§. II.

Examen Peccatorum.

PRæmissa oratione & petitione luminis ad cognoscenda peccata, mente percurre 10. *Præcepta Decalogi, præcepta Ecclesiæ, peccata capitalia, sensus corporis, dies ab ultima exhomologesi transactos, & diei horas ab ortu diei ad occasum, loca item & personas cum quibus conversatus es, & facilè in numerum & notitiam peccatorum devenies. Memoriæ gratiâ brevem attexo catalogum.*

Cogitationes.	Verba.	Opera.
Acedioſæ.	*Adulatoria.*	*Acedioſa.*
Ambitioſæ.	*Affectata.*	*Avara.*
Avaræ.	*Amara.*	*Curioſa.*
Blaſphemæ.	*Ambigua.*	*Fraudulenta.*
Curioſæ.	*Contemptiva.*	*Dubioſæ*

Cogitationes.	Verba.	Opera.
Dubiosæ circa fidem.	*Contentiosa.*	*Gulosa.*
Fraudulentæ.	*Contumeliosa.*	*Hypocritica.*
Gulosæ.	*Exaggeratoria.*	*Indiscreta.*
Invidæ.	*Ficta fraudulenta.*	*Injusta.*
Iracundæ.	*Jactabunda.*	*Inobedientia.*
Luxuriosæ.	*Imprecatoria.*	*Inordinata.*
Murmuratoriæ.	*Impudica.*	*Libidinosa.*
Odiosæ.	*Inconsiderata.*	*Otiosa.*
Otiosæ.	*Instigatoria ad malum.*	*Partialia.*
Pusillanimes.	*Iracunda.*	*Prodiga.*
Suspiciosæ.	*Irrisoria.*	*Præsumptuosa.*
Scrupulosæ.	*Jurantia.*	*Quæstuosa.*
Superbæ.	*Mendacia.*	*Sacrilega.*
Temerariæ.	*Mordacia.*	*Temeraria.*
Vanæ.	*Otiosa.*	*Vana.*
	Superba.	
	Susurratoria.	
	Vana.	

In Sacrificio Missæ *examina, utrum deliqueris defectu debitæ præparationis examinis, contritionis, devotionis, attentionis, reverentiæ, observantiæ rubricarum*

rum & ceremoniarum. Utrum defectus commissus, in tempore, loco, paramentis, corporalibus, lumine, ministro, lapide consecrato, mappis, in materia panis, vini, aqua, in obligatione celebrandi pro defunctis. Utrum gratiarum actio distracta, perfunctoria, nimis succincta, mensq; mox ad alia negotia aut colloquia deflexerit.

In Horis Canonicis, *num deliqueris, omissione, permutatione, transpositione, distractione, decurtatione syllabarum, festinatione; defectu reverentiæ, attentionis, decentiæ situs, convenientiæ loci & temporis; interpositione fabularum &c. omissione restitutionis partis fructuum ob neglectum officium.*

In Administratione Sacramentorum. *Utrum sincera fuerit intentio gloriæ divinæ & salutis animarum, an verò lucri temporalis. Utrum sacra Eucharistia distributa cum debita reverentia, devotione, promptitudine, oculorum custodia: utrum particula vel hostia ex negligentia delapsa & in tali casu rubricæ servatæ: In confessionibus excipiendis, utrum defectus contigerit in scientia, potestate, prudentia,*

dentia, modestia, interrogatione necessaria, vel superflua, instructione, libertate monitione, laxitate vel rigore, observatione sigilli &c. Denique an in casibus difficilibus, absque consilio Doctiorum, [illegible] inspectione librorum, cum dubio abstinuerit.

In Cura Animarum dispice, num defectus fuerit in zelo, curâ salutis animarum tibi commissarum, in administratione Sacramentorum, sublatione scandalorum, & peccatorum gravium, in explicatione doctrinæ Christianæ, in omissione concionum. vel præparatione, in reconciliatione dissidentium, in Celebratione Missæ diebus festivis, vel pro defunctis aut vivis: in communione Parochianorum tempore paschali, collatione extraordinarium Sacramentorum. Num dederit malum exemplum, irâ, odio, avaritia, ebrietate, luxuriâ, colloquiis pravis, statutorum Ecclesiæ aut Prælatorum transgressione. Denique num defectus fuerit munditiei in templo, sacristia, Hierotheca, Altaribus, Reliquiis, corporalibus, purificatoriis, mappis, vestibus & [illegible] sacris.

sacris. Item in aqua lustrali, chrismate, aliisq; ad usus sacros necessariis, ad quæ ex officio obligaris.

§. III.

Fontes Lacrymarum.

Seu considerationes ad excitandum Dolorem de peccatis.

Licet contritio & dolor de peccatis donum Dei sit; ea tamen ex parte nostra etiam adhibitis considerationibus & precibus procuranda esse: duplicem proinde fontem subijcio, primum pro peccatis venialibus, alterum pro lethalibus, ut varietas juvet, & per septenos hebdomadæ dies serviat.

FONS I.

Lacrymarum doloris & amoris ex consideratione peccatorum venialium profluens:

VENA I.

Natura peccati venialis.

I. Expende: Pecatum veniale est quædam offensa Dei, est culpa, reatus, iniquitas,

tas, impietas quædam, quam Deus æqu
mus rerum æstimator odit: odio sunt D
impius & impietas, *quod non solùm*
mortali, sed cum proportione etiamde
niali peccato intelligendum est.

II. Prima odii hujus divini causa
contrarietas, repugnantia, oppositio q
dam Dei & peccati cujuscunque: n
enim Deus sit sanctitas essentialis, &
prema puritas, nullam etiam minim
ferre potest impuritatem; longè min
quàm sol tenebras.

III. Hinc oritur, quod peccatum
unicus & implacabilis Dei hostis, &
lum illud malum quo destrueretur, s
strui posset: satiúsque foret ex mente
ctorum totum Universum annihila
quàm vel unicum verbum otiosum
ferri: majoris enim momenti est m
mum Creatoris malum, quàm maxim
creaturæ.

Affectus odii & doloris.

QUanto igitur odio, Anima mea,
cata hujusmodi prosequenda!
dolore expianda! quo studio præca

da! cu
univer
tos cœ
lum re
Deum
hæc pe
timè d
plicen
I.
me,
ac pu
mam
cie; es
scabie
aliis
potest
II
ditas
Chris
tificâ
deret
II
meri

da! cùm præstet Angelos omnes interire, universos homines damnari, omnes Beatos cœlo ejici, omnes creaturas in nihilum redigi, quàm unico peccato leviſſimo Deum offendi. Deteſtor mi Deus, omnia hæc peccata mea, propè innumera, & intimè doleo, quod toties aliquid tibi diſplicens perpetrârim.

VENA II.

Macula peccati venialis.

I. Peccatum Veniale eſt macula animæ, deformans & defœdans præcipuum ac pulcherrimum opus Dei, ſcilicet animam juſti: eſt velut ulcus in venuſta facie; eſt velut lutum in candida veſte: eſt ſcabies & ſanies purulenta ſtomachum aliis movens: quâ ſi mundari eſſet in tua poteſtate, nunquid ſtatim velles?

II Tanta autem eſt hujus maculæ fœditas, ut ſi, per impoſſibile, eſſet in Anima Chriſti Domini, privaret eam viſione beatificâ, & humanitatem ejus cœlo excluderet.

III. Imò ſi præditus eſſes virtutibus ac meritis Beatiſſimæ Mariæ Virginis omnium

umq.

umq; Sanctorum, atque ex hac vita cederes unâ solùm peccati venialis culâ fœdatus, eámque per totam æternitatem retineres, nunquam admitteretur cœlestem gloriam. Quàm venenata litas!

Affectus.

EXhorresce, Anima mea, & cave unquam voluntariè ejusmodi ma lam tibi affrices: adeò enim hæc D displicet, ut si vel per unam, omni hominum peccata impedire, omnes p catores sanctificare, omnes damn cœlo posses invehere; Deus tamen pro effectus adeò præstantes, in admissio vel unici peccati venialis non præb assensum. Admirare & dole de tua i negligentia.

VENA III.

Malitia peccati venialis.

1. Malitiam peccati hujus ex eo col quod Christo Domino, mundissimo c puritatis speculo adversetur, ac disp at, magni ei steterit, & pro eâ del

sanguinem pretiosum fuderit: ut *scilicet* exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam. *Ephes.* 5.

II. Tanta deinde ejus est malitia, ut omnium Martyrum sanguis, omnium Confessorum lacrymæ & pœnitentiæ, omnium Sanctorum merita, & heroica facinora, per se sola sumpta, non sint sufficientia ad mundandum ab unica veniali labe.

III Ne ergo mireris Sanctos tantâ usos esse cautelâ, tantâ sensuum custodiâ, tam accurata præsentiæ divinæ memoriâ, ac in omnibus operibus & verbis circumspectione & vigilantiâ. S. Joannes Baptista quantus sanctus? in utero sanctificatus, & tamen in eremum secessit; Ne levi saltem maculare vitam famine posset. Loco affectûs, desiderium imitandi Sanctorum circumspectionem excita, & attende tibi.

VENA IV.

Ingratitudo.

I. Considera ingratitudinem tuam erga Deum, qui omni momento novis, novisq; beneficiis te afficit; & tu loco gra-

gratitudinis tantum peccatorum veni
lium numerum reddis, qui per vitæ
cursum fortè ascendit ad quinquagin
vel centum millia. O quale chaos!

II. Deinde ingratum te exhibes Chri
Salvatori tuo, tum propter tot auxi
gratiæ, quæ tibi promeruit, ac semper
fert; tum propter alia beneficia innume
& tamen vide num sit creatura in mun
quam toties & tam audacter offender
idq; ex levissimis causis.

III. Ingratum denique te ostes
Spiritui Sancto, cujus templum, quo
tu, pulveribus & aranearum telis ac
stiolis deturpas; idq; levissimis de ca
sumpta ex rebus minimis occasione, so
cet propter respectum humanum, c
moditatem corporis, sensualitatem,
riolam. Quantum dedecus! Dole &
dore suffundere, quod res adeò vilis
tiùs quàm Deum curaveris; & deinc
peccatorum odium, sedula mortificati
sensualitatum demonstrare statue.

VENA V.

Effectus peccati venialis.

I. Peccatum veniale cor hominis
cre

creatæ affigit, à perfecto Dei amore retrahit, dum charitatis fervorem imminuit, & unionem affectuosam animæ cum Deo summo Bono suo impedit.

II. Deinde obscurat intellectum, voluntatem indurat, in virtutum exercitio alacritatem, in cultu divino gustum aufert, quemadmodum humor vitiosus in lingua gustum & delectationem ciborum. Opera bona minùs Deo grata, minùs meritoria reddit.

III. Denique peccatum veniale disponit ad mortale, veluti agritudo ad mortem; & potio occultè venenata disponit paulatim ad interitum; tum gratiis divinis ponendo obstacula, tum Dæmonis insultibus aditum patefaciendo, qui animam reperiens debiliorem, utpote ordinariis gratiæ præsidiis destitutam, facilè eam evertit. Unde gravem cujusdam Clerici aut Religiosi ruinam audiens, eam non subitò accidisse credas, sed sensim, à peccatorum venialium neglectu: sicut trabs à vermibus paulatim exesa, onere imposito, tandem repentè corruit. Dole & teut pupillam oculi custodi.

VENA VI.

Pœnæ hujus & alterius vitæ

I. *Expende pœnas in hac vita ob* [illegible] *niale peccatum à Deo inflictas. Moysi* [illegible] *Aaron licèt magni Dei amici, tamen* [illegible] *diffidentiam, terræ promissæ ingressu* [illegible] *clusi sunt. Uxor Loth ob curiositatem* [illegible] *oculorum in statuam salis conversa. O* [illegible] *cum irreverentia arcam Domini tange* [illegible] *morte subitaneâ castigatus est: quis* [illegible] *paveat?*

II. *Bethsamitarum quinquaginta mi* [illegible] *lia cum septuaginta Principibus pro* [illegible] *Arcam curiosiùs intuentes repenti* [illegible] *morte extincti sunt. David ex vanita* [illegible] *subditos numerans, septuaginta millia* [illegible] *hominum excidio per pestilentiam, pu* [illegible] *latus est. Esaias Rex in thesauris* [illegible] *vanè sibi complacens, amissione bonorum* [illegible] *honoris, valetudinis & vitæ punitus* [illegible] *Quis non horreat?*

III. *Post hanc vitam verò, in judi* [illegible] *particulari, austeriore vultu à Christ* [illegible] *Judice aspicieris, ad beatificum Dei a* [illegible]

Eum
ris, sec
dabert
pere a
ex aut
ferat,
portui
repella
ita per
grinat
que an
quanto
cœlesti
mplex
Dole it

I.
atorii
mniáq
cinas
dem ig
ui da
sparı

II.

Etum & amplexum non statim admitteris, sed ad purgatorii ergastulum amandaberis. Ubi expende: si aulicus tantopere apprehendit, quod à Rege jubeatur ex aula facessere: Si Nauta tam agrè ferat, quòd peractâ navigatione longâ portui appropinquans subita tempestate repellatur in Oceanum: Si Filius nobilitata percellatur, quod ex longinqua peregrinatione redux loco paterni, maternique amplexus compingatur in carcerem: quanto luctu & mœrore repulsam ex aula cœlesti, à portu felicis aternitatis, ab amplexu divino amabilissimo tu feres? Dole itaque, & cave tibi.

VENA VII.

Ignis purgatorii.

I. *Apprehende vivaciter, Ignis purgatorii flammas esse longè acerbissimas, omniáque Martyrum tormenta & carnificinas multis passibus superare: est enim idem ignis, juxta nonnullorum sententiam, qui damnatos & dæmones cruciat, licèt dispari modo.*

II. *Deinde paucissimos esse scias, qui*

absque purgatorii pœnis rectà evolem
cœlum; ut patet ex Dialogis S. Greg
ex Historiis Ecclesiasticis certissimis
benè probat Bellarminus l. 1. de amiss
tia c. 13. Quomodo igitur laborandum
ut sis è numero paucorum?

III. *Noveris denique paucos esse*
parvo tempore, purgatorio detineri
aliquos certè compertum est, usq
diem judicii ibidem permansuros, u
quodam magno Prælato S. Ludgardi
velatum est, etsi is fuerit valde be
Ecclesia meritus. Surius in vita. Q
ergo stupida es anima mea, ad fu
pœnas tam acerbas, quæ tam acrem
sensum præsentium centies minorum
post verbum otiosum, post menda
jocosum, post vanitatem aut curiosi
mox esses comburendus per carnifi
nunquid abstineres? agnosce igitur
in gravioribus suppliciis præcav
oscitantiam: dole, pave & cave.

FONS II.

Lacrymarum & doloris ex consideratione peccati lethalis profluens.

Si Sacerdos graviore aliquo delicto, quod Deus avertat, fortè maculatus sit hunc fontem adeat, atque ut abluatur perfectiùs, consideret aliquantulum, peccati gravitatem, ne objiciatur ei quod Deus olim per Jeremiam c. 8. locutus est: Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens, Quid feci?

VENA I. DOLORIS

Ex consideratione peccati, ut est offensa Creatoris.

INgredere, Anima mea, penetrale mentis tuæ; atque ut majore compungaris dolore, expende, & oggere tibi ipsi. Quid feci? Ah! quid feci contra Creatorem meum, qui tanta pro me fecit? ipse me ex nihilo creavit; & ego ipsum pro nihilo offendi: ipse me ad imaginem & similitudinem suam fecit; ego imaginem illam delevi, & damonis similitudinem

indui: ipse mihi & animæ potentiæ corporis sensus largitus est, ego iisdem sus sum, ut eum exacerbarem; ipse mundum hunc elegantem pro me dit, & ego, quantum in me fuit, totum contra Conditorem converti. Q ta malitia!

Affectus doloris.

PEccavi, Deus meus, peccavi graviter Divinam Majestatem offendi; sed vehementer contristor, intimo corde doleo, atque affligor infinito dolore dolere non posse, qu Conditorem meum amantissimum beratissimumque exasperârim; pro nis mala rependerim; donisque tui opprobrium tuum abusus fuerim, quomodo te placabo? quid faciam, u bita tanta dissolvam? Ecce me to offero tibi ad servitium perpetuum; pus & animam; vitam & omnia, le etiam vitas, si haberem, libens turus. O Deus propitius esto peccatori!

VEN

VENA II. DOLORIS

Ex consideratione peccati, ut est offensa Patris.

QUid feci deinde contra Patrem meum amantissimum, qui tanta mihi beneficia præstitit? qui voluntariè verbo veritatis me genuit; qui etiam non pepercit Unigenito pro sic genito, & cum illo omnia donavit, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis. Et ego vicissim quid feci? instar Filii prodigi Patrem deserui, pro bono malum reddidi, odium pro dilectione, obedientiam denegavi, monita sprevi, mandata contempsi: verbo, ipse Patrem se exhibuit mihi; sed ego non vicissim me Filium. Quanta protervia!

Affectus Pudoris.

ET quâ fronte attollo oculos ad vultum Patris tam boni, tam malus Filius! pudet indigna gessisse genere meo; pudet tanto Patri vixisse degenerem: pudet deseruisse paternam domum, dilapidâsse substantiam, esse pastum siliquis, conver-

satum esse cum porcis. Confundo
confundor audire: Si ego Pater, ubi
honor meus? ubi amor? ubi timor?
reverentia & obedientia? ô Pater! p
cavi in cœlum & coram te; jam non s
dignus vocari filius tuus: fac me s
unum de mercenariis tuis.

VENA III. DOLORIS

Ex consideratione peccati, ut el offensa Redemptoris.

QVid feci contra Redemptorem m
um, qui tanta pro me fecit &
stinuit? Quid gulæ meæ intemperan
feci, nisi Redemptori meo fel & acet
denuò propinare? Quid meâ superb
nisi ejusdem caput spinis iterum pung
quid feci proprio mei amore, nisi lanc
latus ejus aperire? quid concupiscent
meis, nisi dorsum ejus flagellis lacera
quid pravis actionibus & desideriis,
pedes ejus & manus clavis transfigere
meisq; peccatis iterum crucifigere Filiu
Dei? Quanta crudelitas.

Affec

Affectus Amoris.

O Salvator mi! estne ullus homo in mundo, aut bestia, quam adeò graviter, tam sæpe, tam protervè offenderim, atque te? prô pudor! ah! quâ ratione reconciliabor Tibi? Ecce ad pedes tuos meî causâ vulneratos cum Magdalena prosterno me, veniamque peto humillimè: utinam cum illa amoris & doloris lacrymas profunderem! & nunquam ampliùs peccarem! Amo enim te, Redemptor amantissime, purè propter te, quia bonus es, quia Deus es, & omni amore dignissimus. Obsecro igitur te, per cor tuum lanceâ transfixum & amoris vulnere saucium, transfige me, vulnera cor meum amoris tui vulnere tam valido, ut ardentissimè, & constantissimè deinceps te diligam, te quæram, te intendam, & à te non separer in æternum. Amen.

VENA IV. DOLORIS
Ex consideratione peccati ut est offensa Domini.

Quid feci contra Dominum meum? contra Monarcham infinitæ Majestatis?

tis? Ipse est Deus, ultionum Domin
Judex justus & fortis, terribilis in cu
liis super filios hominum: ideóque su
omnia timendus: qui postquam occidi
potest corpus & animam perdere in gehe
nam, & ego vile mancipium, abjectissim
servus sprevi, offendi, irritavi im
Deum & Dominum meum; dicens in c
de meo, non requiret: qui tamen requi
omnia usque ad novissimum quadrant
requiret, & retribuet abundanter su
entibus superbiam: requiret à redem
servitium; honorem & gloriam ab
quem plasmavit. O Domine! si
lesæ Majestatis capite plectuntur; qu
supplicium divinam Omnipotentiam c
temnentium erit?

Affectus Timoris.

EXhorresco, Domine Deus magn
& omnibus artubus contremisco,
cogitans, quod tremendam Majestat
tuam ausus fuerim offendere vilis pul
culus, levi flatu mox dispergendus,
minimè recolligendus. Paveo gehenn

pa

paveo Judicis vultum ipsis quoque tremendum Angelicis Potestatibus. Contremisco ab ira potentis, à facie furoris ejus, à verbo aspero, à ventre Inferi, à rugientibus præparatis ad escam. Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & stridorem dentium, & pondus catenarum prementium, stringentium, urentium, & consumentium. *S. Bernard. serm. 16. in Cant.* Quæ omnia tormenta prorsus debita sunt peccantibus in Dominum talem, & Reis læsæ tantæ Majestatis.

VENA V. DOLORIS.

Ex consideratione peccati, ut est offensa Dei.

QVid feci contra Deum meum? peccavi, & tibi soli peccavi, Deus meus, primum principium, & ultimum finem meum deserui. Peccavi contra Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, qui in suum me habitaculum elegit & sanctificavit: Peccavi contra infinitam Dei mei bonitatem quæ tot beneficiis me cumu-

lavit: contra ejus charitatem, qua
gratis dilexit: contra misericordiam, q
gratuitò mihi peccata remisit: cont
omnipotentiam quæ in omnibus me adj
vat, conservat & sustentat: denique cont
omnes ejus perfectiones peccavi, eas co
culcando, ut propriam meam & pervi
sam sequerer voluntatem. O quan
iniquitas!

Affectus Pœnitentiæ.

MIserere mei Deus, & sana anim
meam, quia peccavi tibi: non av
tas faciem tuam à me, & ne declines
ira à servo tuo, propter delicta mea
deserendo, & æternum me reproba
agnosco culpam, iniquè egi, fateor,
pœnitet & pudet peccasse, non prop
pœnam temporalem aut æternam,
purè propter te Deum meum, summ
optimum, maximum, quem super om
diligo. Exitus aquarum deducant o
mei, & lacrymis si fieri possit, etiam
guineis genas rigent.

VE

VENA VI. DOLORIS
Ex consideratione peccati, ut est Læsio sui.

QVomodo autem exprimam, quid fecerim contra meipsum? Animam enim meam culpâ occidi; gratiâque & charitate spoliavi; Dei amicitiam perdidi; cœlestem hæreditatem amisi; meipsum Diaboli mancipium reddidi; & reum perpetui carceris infernalis constitui. Quis unquam majori me odio habuit, quàm ego meipsum? Quis unquam crudelior mihi inimicus extitit, quàm peccatum meum! ô miserum me! quid feci? & quid faciam ut amissa recuperem, & damna resarciam?

Affectus Resignationis.

DOleo ex intimo corde, mi Deus, & ideo solùm, quòd te infinitè amabilem offenderim. In punitionem verò & satisfactionem aliqualem pro peccatis meis accepto ex hoc momento, quidquid adversi per tuam providentiam mihi accidere voles, illudque lubens volens perferam.

feram : accepto labores & ærumna morbum & mortem corporalem ad tum & beneplacitum tuum. Domi hîc ure, hîc seca, modò in æterna parcas.

VENA VII. DOLORIS

Ex consideratione peccati, ut læsio proximi.

QVid denique feci contra meos prox mos? alios fortè injustitiâ nonnul affeci : aliis honorem imminui : aliis ex emplo haud laudabili fui : aliis irâ, aut invidiâ nocui Denique Ecclesiam ma trem meam contristavi, justos afflixi Angelos pacis ad planctum provocavi, & creaturis usus sum contra communem Creatorem. O quid faciam, ut omnibus faciam satis. !

Propositum emendationis.

O Domine cum gratia tua vitam an teactam corrigere firmiter statuo si quid aliquem defraudavi, reddo : ve niam erratorum à te & ab omnibus hu millimè flagito : mihi ab omnibus igno sci

sci cupio; quemadmodum & ego omnibus perlibenter ignosco; pro læsis à me, preces ad Deum fundo : fœtorem vitiorum meorum, boni exempli ac virtutum fragrantiâ depellere satago : *Tantùm miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana animam meam quia peccavi Tibi.* Psalm. 40.

Categoria malorum è radice peccati lethalis pullulantium.

Si tentatio vehementior te pulsaverit; aut Caro, Mundus, Diabolûsve te aliquando prostraverit; ex hoc, quod subtexo, Alphabeto, literam aliquam aut titulum seriò expende vel pro horrore peccati excitando, vel dolore.

Peccatum mortale, opere, verbo, vel concupiscentiâ perpetratum, tantæ gravitatis est & malitiæ, ut eam nullus hominum & Angelorum, sed solus Deus perfectè cognoscere valeat : est enim.

Adulterium, *quo Anima fidem Deo datam in baptismo, frangit : est apostasia, seu defectio à parte Dei, & transitus ad partes Diaboli.*

Bar-

Barathrum *est æternæ damnationis infelicitatis.*

Contemptus *est Bonitatis, & pulchritudinis infinitæ.*

Destructio *est omnium bonorum gra & gloriæ.*

Expulsio *est Spiritûs Sancti ex anim & diaboli introductio.*

Fœditas *est animæ tanta, ut creatu universa eam perhorrescat.*

Gelu & *frigus est lethiferum, igne charitatis extinguens.*

Hostis *est Dei capitalissimus, quoni odit magis.*

Inobedientia *mandatorum Dei est i juria Regis æterni: Ignominia Christi quâ de novo quodammodò Barabbæ posp nitur, aut pro re nihili venditur.*

Lepra *est, imò latro animæ, & laqu diaboli, quo homines velut aves incau capiuntur & mactantur.*

Mors *est animæ, quam solus Deus p est suscitare. Macula tam infamis ut solo Christi sanguine queat ablui. M lum certâ ratione infinitum, quia p vatio Boni infiniti.*

N

Nox *est anima, caligo, tenebræ ægyptiacis densiores, quibus homo ita excæcatur ut præcipitium non videat æternum.*

Origo *est omnium malorum temporalium & æternorum.*

Privatio *gratiæ: proditio in Deum, quâ homo arcem mentis suæ Deo tollit, & in potestatem Diaboli transfert.*

Quadriga *Luciferi, quâ tot mortalium milliones devecti sunt & devehuntur ad orcum.*

Rebellio *adversus justissimam Dei voluntatem, & læsæ Majestatis divinæ reatus.*

Sacrilegium, *quo violatur templum Dei, & in fanum ac speluncam diaboli convertitur.*

Transgressio *divinæ legis & Tyrannus obsyntheresin.*

Venenum, *virus & vulnus animæ mortiferum: Vita non amplius Deo sed Diabolo.*

Zizania *ab inimico superseminata, in fasciculos colliganda & mittenda in ignem æternum.*

O! quæ pestis! quæ malorum ilias! considera, trepida & formida.

FONS

FONS III.

Lacrymarum Amoris & Dolo Pœnitentis animæ, ad imitationem a rum verè pœnitentium ſcaturient

VENA I.

Ad exemplum S. Petri Apoſtoli flu

I. QUis dabit capiti meo aquam oculis meis fontem lacryma ut fleam die & nocte, ac peccata m deplorem? O Magiſter mi! ô Jeſu bo quid feci? quàm ingratum me tantis beneficiis exhibui? quoties propoſui quoties ſanctè promiſi, potiùs in car rem & in mortem ire, quàm te Domin & Magiſtrum meum peccando defere & tamen receſſi à te, pravam ſocietat non fugi, peccandi occaſionem adii, eheu! cecidi, & ſi non verbis; at fac te negavi, dum rei creatæ te poſtpo idque non ſemel tantùm, ſed iterum iterùmque ac ſæpius.

II. Heu! infelix ego peccator, q nunc me vertam, niſi ad te, præcep amantiſſime, cujus miſericordiæ non

num

numerus, cujus bonitatis & clementiæ infinitus est thesaurus. Procido igitur pudore plenus ad pedes tuos sacratissimos, veniam & gratiam humillimè exorans. Ne, obsecro, avertas faciem tuam à me; sed respice in me illis misericordiæ oculis, quibus respexisti Petrum, & ille conversus ac pœnitens flevit amarè.

III. O si cum Petro possem indesinenter flere! ô si sanguineis etiam lacrymis peccata mea eluere liceret! Verùm cùm id arido & petrâ duriori cordi meo non liceat: agnosco tamen & detestor malitiam meam, execror peccata mea, summéque de iis doleo, quòd summam Bonitatem tuam offenderim; emendationem firmissimè propono; ac te super omnia diligo: Domine tu scis, quia amo te.

VENA II.

Ad Exemplum Filii prodigi.

I. O Pater amantissime! peccavi in cœlum & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis: ego enim sum ille inobediens & perfidus, qui con-

tra mandatum tuum concupiscentiis me abstractus & illectus abii in regionem longinquam, in regionem umbræ mortis ubi funes peccatorum circumplexi sunt me,& pericula inferni circumdederunt me. O quàm doleo! ô Pater mi! Ego sum helluo ille prodigus,qui substantiam meam dissipavi, gratiam tuam perdidi charitatem amisi, hæreditatem cœlestem dilapidavi. O quàm crucior! Ego sum refractarius ille privignus, qui Patrem optimum malitiosè deserui, summum Bonum graviter offendi,in Benefactorem maximum ingratus insurrexi. O quàm abominor perfidiam meam!

II. Fateor, ô Pater! indignus sum qui vel oculos in cœlum levem: verum tamen quo fugiam à facie tua? ubi me abscondam ab ira tua? nunquid non Pater meus es tu, cujus misericordiam continere non possunt; cujus pietas non quit concludi? Ego verò licèt filii nomine indignum me reddiderim, agnoscam tamen non alium Patrem, præter te Domine. Quare ad pedes misericodiarum tuarum curro; ante thronum gratiæ tuæ pro-

cido
seric
sione
impl
III
abyss
parce
me si
ut po
cipe,
redd
stitue
rente
re bo
quam
Ame
Ad
I.
me p
ego
font
bon
ciste
tum
cid

cido; & per paternum cor ac viscera misericordiæ tuæ veniam flagito, & remissionem peccatorum meorum humillimè imploro.

III. O Pater piissime! ô misericordiæ abysse! miserere mei; ignosce delictis, parce peccatis, explica paterna viscera, & me si non ut obedientem filium, saltem ut pœnitentem famulum in gratiam recipe, & stolam primam & gratiæ vestem redde, annulum indissolubilis amoris restitue; osculo pacis & amicitiæ immerentem dignare! mihi enim, tibi adhærere bonum est, & statutum firmiter, nunquam ampliùs à te separari in æternum. Amen.

VENA III.

Ad Exemplum Mariæ Magdalenæ.

I. O Magister mi; Rabboni dulcissime & amantissime! ah! quàm me pudet ac pœnitet toties peccâsse! Te ego infelix deserui, fontem aquæ vivæ, fontem gratiæ & gloriæ, fontem omnis boni, torrentem voluptatis: & fodi mihi cisternas divitiarum, honorum, voluptatum, verè cisternas dissipatas, quæ continere

tinere non valent aquas. Jugum tuu
ſuave, & onus leve mandatorum tuoru
excuſſi, ac ſeptem Dæmoniorum ſer
tuti me ſubjeci. O quàm doleo & ave
ſor ſtultitiam meam! quòd unquam
ſideraverim aliis placere, quàm ti
Quàm erubeſco, quòd vilem creatur
magìs adamaverim, quàm te amabi
ſimum meum Creatorem! O ſi tot lacr
mis, quot Magdalena, peccata mea de
rem! Sed ubi lacrymæ? ubi gemitus
ſingultus? ubi ſenſibilis illa cordis comm
tio? Novi quidem, ô Domine, ſenſibilia
cordis vulnera ad contritionem neceſſa
non eſſe, quæ potiùs in voluntate, pecc
que propter Deum tam amabilem offe
ſum, ſolida deteſtatione conſiſtit: neq; ſen
omnes tam profluos lacrymarum imbr
tam ſenſibiles cordis motus in promp
habent, niſi tu dederis: opto tamen
hoſce doloris mei teſtes, & tu noſt
Domine, quantopere eos deſiderem:
quorum defectu, culpas commiſſas
deteſtor, ut vel ſanguine, vel morte
Deo meo tam bono illatam injuriam co
perem abolere.

II. Pro

II.
mean
re: ma
ram fa
chariſ
potiùs
ferni t
in æte
jeſtate
etiam
adjum
conve
rum
erunt
gris, a
tutem
mum
Deo
hîc pœ
III.
mea,
amore
Ah lice
liceat
ſculu
diligit

II. Propono etiam firmissimè vitam meam omni vigilantiâ possibili emendare: malo vitæ, honoris & bonorum jacturam facere; potiùs omnes mortales etiam charissimos & potentissimos offendere; potiùs omnia, mundi, purgatorii & inferni tormenta, usque ad diem judicii, imò in æternum sustinere; quàm denuò majestatem tuam infinitam lædere. Cupio etiam bona & membra mea peccatorum adjumenta in pœnitentiæ instrumenta convertere: delitiæ & divitiæ non vitiorum deinceps, sed egenorum alimenta erunt: rebelle corpus jejuniis, ciliciis, flagris, aliisque pœnis castigabo & in servitutem redigam, ut serium pœnitentis animum & efficax emendationis propositum Deo meo magis demonstrem: aut enim hîc pœnitendum, aut ibi ardendum est.

III. Diligam te, Domine, fortitudo mea, & in signum amoris ad pedes tuos amore mei crucifixos supplex procido. Ah liceat eosdem cum Magdalena tenere, liceat os sacris admovere vulneribus, & osculum amoris pangere. Inveni quem diligit anima mea: hunc ego stringam lacer-

lacertis, amplectar brachiis, teneboꝝ
nibus, nec dimittam, nisi benedixeriꝝ
hi; dixeritque: Anima, remittuntur
peccata tua, vade in pace. Amen.

VENA IV.

Ad exemplum Davidis pœniten

P*Salmum quinquagesimum, per se*
dum modum orandi, suprà pagin
explicatum, rumina, inhærendo e
stendo singulis verbis aut sensibus, qu
diu ad gustum spiritualem aut contri
nem quidpiam occurrerit.

Miserere.

Ego miser peccator, ad misericor
fontem recurro, culpam agnosco,
tum intelligo, ideoque supplex rogo
Deus, *Miserere*, miseriæ meæ comp
re, afflicto condole, Reo parce, er
veniam indulge, pœnitentem in gra
recipe, & pristinâ charitate complec

Mei.

O Domine! subticeo nomen me
quod peccando delevi è Libro vitæ,
in mortis libro adscripsi. Ne ergo q
ras, quis ego sim, ne nomem meum

iram te commoveat: tantùm *Miserere mei*, confitentis peccatum, damnantis culpam, quærentis misericordiam; & propitius esto mihi peccatori.

Deus.

Misericors & miserator Domine: non ausim dicere *Deus meus*, sed tantùm Deus. Deum agnosco, meum quomodo præsumere audeo: ego enim peccando te perdidi, malum amando à te elongavi: propterea quasi leprosus appropinquare non audeo, sed de longè stans, cum intima devotione clamo: *Miserere mei Deus! Secundùm magnam misericordiam tuam.*

Magna vulnera, magnis remediis indigent, magnus peccator magnâ gratiâ, magna miseria, magnâ misericordiâ opus habet: ut ubi abundavit delictum, superabundet & gratia. Quærant alii parvam misericordiam qui ignoranter contrahunt culpam; ego autem sicut graviter cecidi, ita etiam scienter peccavi, ac proinde misericordiam magnam requiro. O Domine! misericordia tua magna sit super me; quia non tantum magna est super cœlos misericordia tua, sed &

misericordiâ tuâ plena est terra.

Et secundùm multitudinem miser
tionum tuarum dele iniquitatem mea

O Pater misericordiarum! multi
dini peccatorum meorum, multitu
miserationum tuarum respondeat. Ne
tantùm tege, sed omnino dele iniqu
tem meam quam scripsi è libro consci
tiæ meæ, è Libro seu memoriâ tuâ. Su
vox tua dulcis in auribus meis: *Ego, meam*
sum ipse, qui deleo iniquitates tuas
pter me, & peccatorum tuorum non re
dabor. Isaiæ 43.

Ampliùs lava me &c.

Ah! lava me, Domine, ego enim
nutriebar in croceis & in purpura di
charitatis, amplexatus sum stercora,
peccata infamia: & in iis velut upupa
scarabæus me volutavi. Obsecro igi
ampliùs lava me. Lava pedes affectu
depravatorum: Lava manus ab op
tionibus malis: lava caput à cogitatio
bus iniquis: lava corpus à corrupt
carnis, lava oculos ab aspectibus inve
cundis. Effunde super me aquam m
dam (Spiritûs Sancti) & munda me

omnib
ut pa
Quon
Du
naret,
decipe
runt n
ut vid
sunt o
litia p
quanti
gravite
Et pecc
Quà
mox sc
cavi, &
sse, v
nocturq
velut A
dens:
nsilien
dam in
is & sp
arnifex
ans. Ah

omnibus inquinamentis carnis & spiritûs, ut partem tecum habere merear.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Dum tentatio pulsaret, dæmon fascinaret, caro titillaret, species aliena me deciperet, excœcatus fui, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem: peracto autem scelere, aperti sunt oculi mei; & ecce, *iniquitatem meam ego cognosco*, & quanta sit ejus malitia penso, quantis bonis me spoliet, quantis suppliciis obnoxium faciat, quàm graviter Deum lædat, perspicio.

Et peccatum meum contra me est semper: Quàm justa judicia tua Domine, qui mox scelestos ultor à tergo sequeris: Peccavi, & mox *peccatum meum contra me est*, velut larva horrenda *semper*, diu noctúque me territans: contra me est, velut Accusator irata facie in reum frendens: velut miles armatus in inermem insiliens, velut fera immani rictu in prædam involans, velut Draco horrendis sibilis & spiris miserum circumplicans; velut carnifex crudele supplicium semper intentans. Ah eripe me Domine & libera me!

Tibi soli peccavi.

Etsi in proximum meum scandalo injustitiâ graviter deliquerim, hoc tam pro nihilo ducendum est, si cum offensa ô Domine! comparetur. *Tibi soli pecc* quia tu solus mihi leges dare, tu solus ju care & punire potes: *Tibi soli peccavi,* do te solo conscio & inspectore scelus travi, itaq; à te uno misericordiam pos

Et malum coram te feci.

Malum hoc *coram* te Judice, Pa Benefactore *feci*: coram infinita sapie tua, quæ me aspiciebat, coram infi charitate tua, quæ mihi indulgebat ram omnipotentia tua quæ me tene Heu quanta ingratitudo!

Præstanda sub ipsa Confessio

I. Accede ad sacrum tribunal cu *ad lavacrum Sanguinis Christi* Do *cum certa fiducia te in sanguine Agni albandum, ac mundandum longè perfe Naamo in Jordani flumine.*

II. Deinde jam instar Filii pro jam instar Magdalenæ, Petri &c. ad cerdotis pedes, tanquam Vicarii Ch procide & benedictionem pete.

III. Subjunge Confiteor, *usque ad* mea culpa *inclusivè, sub quo breviter actum contritionis renova. Deinde indicato ultimæ confessionis tempore peccata tua confitere. I Humiliter, ea non excusando. II. Breviter, superflua non narrando. III. Sincerè, peccata non palliando. IV. Honestè & clarè, sufficienter explicando. V. Integrè, addendo numerum certum, vel si is nesciatur, verisimilem; ita ut nullum mortale, voluntariè omittatur: hoc enim grande fore sacrilegium, constat.*

IV. Denique conclude verbis reliquis ex Confiteor. *Vel subjungi poterit: De his & omnibus aliis peccatis meis intimè doleo quòd Dominum Deum summum bonum offenderim, ac firmissimè propono emendationem, petóque salutarem pœnitentiam & absolutionem. Sub qua, cogita animam tuam mundari pretioso Jesu Christi sanguine, cujus merita per Sacramentum pœnitentiæ tibi applicantur & breviter actum contritionis renova. O Deus! propitius esto mihi peccatori. O quàm doleo, quòd te summum Bonum meum unquam offenderim!*

Præstanda post Confessionem.

I. Pœnitentiam tanquam si ab ipso Chri
sto Domino injunctam fuisset, libenti ani
accepta, levissimámque reputa, ut re
est, si cum purgatorii, aut inferni pœ
conferatur: ac proinde quamprimum fa
potest, explenda est, gratiáq; agenda
absolutionis beneficio, pro quo Sanctis etia
Patroni invitandi erunt.

II. Subjunge sequentem oratiunculam
Sit tibi Domine obsecro meritis B. M
riæ semper Virginis, & omnium Sanc
rum grata & accepta ista confessio m
& quidquid mihi defuit, nunc, & a
de sufficientia contritionis, de puri
& integritate confessionis: suppleat
tas & misericordia tua, & secundùm
lam digneris me habere plenius & p
fectiùs absolutum in cœlo. Qui vivi
regnas, &c.

III. Denique tibi jam mundan
Christo dici cogita: Vade & jam amp
noli peccare.

VII. ALE

VII. ALEXIPHARMACA

Seu media contra tentationes, præsertim carnales; velut totidem clypei contra tela Nequissimi ignea.

I. EST fuga: Fugite, *ait Apostolus: fugienda sunt itaque prava Societas, aspectus liberior, colloquia periculosa, conversatio prolixa, mansio cum sola, lectio obscœna, otium, intemperantia, convivia, saltus, attactus etiam manuum alienarum, ac demum alia quævis occasio.*

II. Præsentia Dei. *In omnia tentatione mox vivâ fide dic: Deus omnia cernit: vivit Dominus in cujus conspectu sto: Judex adest, qui eodem, quo pecco, momento velut Luciferum in Tartarum præcipitare me potest.*

III. Frequens celebratio pia Missæ Sacrificii, *in quo Christum sumis omnis puritatis & sanctitatis fontem, Virginum sponsum, qui pascitur inter lilia.*

IV. Confessio crebra *eidem sacerdoti valde docto, probo, & prudenti facta, in qua, ut magis te humilies, minima etiam aperi, & singula distinctè explica,*

v.g. num primo momento restiteris, verò nec admittendo, nec repellendo quodammodo cum cogitationibus lusero an denique voluntariè & plenè consenseris.

V. Oratio fervens, *ac frequens singulari in Deum fiducia, & protestatio quotidiana coram divina Majestate dicendo, te malle mori quàm peccare. Juverit etiam quotidiana commendatio & invocatio Beatissimæ Virginis Angeli Custodis, S. Josephi, S. Francisci Xaverii, aliorúmve Sanctorum sanctitate excellentium.*

VI. Opera pœnitentiæ: *qualis usus cilicii, catenulæ, flagelli, lecti duris, jejunii, orationis peractæ genibus, vel brachiis expansis in modum crucis ante Crucifixi effigiem.* Hoc genus dœmoniorum non ejicitur nisi in oratione, & jejunio, & asperitatibus. *Cum Apostolo castigandum & in servitutem redigendum est, ne rebellet, aut recalcitret. Certum habe, corpus tuum esse hostem tuum infestissimum, aeternæ salutis tuæ insidiantem, ac proinde*

industriâ domandum. Post lapsum verò mox acerbam de te pœnam sume, & ingenti zelo vindica, ut hac ratione Deum ac Sanctos, quos ante contristaras, exhilares: & è contra dæmones, quos exhilararas, contristes.

VII. *Dum jam pulsari te sentis tentatione, aut phantasiâ impurâ, impresso mox cordi signo crucis, Jesum invoca, ut in corde tuo sit, ne tentationi succumbas, & cum Augustino protestare: te malle mori quàm fœdari & cutem manûs comprimendo, pungendo, constringendo, aliâve, quam Spiritus sanctus suggeret, ratione, corpori dolorem infer, quo voluptas retundatur: contraria enim contrariis curantur.* Resistite Diabolo & fugiet à vobis.

Jacobi c. 4.

Probet autem seipsum Homo. 1 Cor. 11

Ecce ignis et ligna. Gen. 22

Hen. Causé sculp.

HOR

HORA VII.

Sacrificium Missæ.

PRAXIS.

Præparationis remotæ ad Sacrificium Missæ.

I. *PRæparatio duplex est, remota & proxima. Præparatio remota ad sacrificium, consistit in vita innocente & sanctâ, in Conversatione juxta perfectionis evangelicæ normam directa, fidei, spei, charitatis, humilitatis, castitatis, devotionis, aliarúmque solidarum virtutum ornamentis conspicuâ.*

II. *Hanc verò vitæ integritatem ac sanctitatem ut Sacerdos assequatur, ferventer & indefessè passionum suarum & vitiorum mortificationi indies studeat, & prædictarum virtutum exercitio se dedat; proposito velut vitæ totius speculo & exemplari vitâ Salvatoris nostri, cui in omnibus actionibus se conformare, eodémque spiritu eas animare nitatur, ut Deus*

ipse Sacerdotem, quasi Christum Filium suum dilectum, cujus personam justus intueatur; non tantùm cùm actu sacrificat, verùm etiam, dum orat, canta legit, manducat, conversatur.

Praxis præparationis proximæ ad sacrificium Missæ.

I. *Ante omnia sibi sacerdos persuadeat, actum sacrificandi esse functionem eminentissimam, sanctissimam, divinissimam, ipsis angelicis Hierarchiis denegatam, ac proinde dignissimam, ad quam cèt vel semel tantùm in omni vita eundam, omnis labor, industria, conatus studium corporis & animi per totam tam impenderetur: atque ita Deo O. habitatio præpararetur. Hæc autem præparatio proximæ in tribus sita est: scilicet puritate conscientiæ, intentionis rectitudine & devotionis ardore.*

II. *Itaque conscientia immunis I. à peccato lethali, ne sacerdos judicium sibi manducet & bibat, instar Judæ: ho probet seipsum homo, ne sit reus corporis sanguinis Domini; ac si Christum occi*

set, & effudisset ejus sanguinem, ut explicat S. Thomas à Villanova conc. 3 de Sacram. Altaris. II. Conscientia pura sit à peccatis venialibus præsertim voluntariis, & passionibus indomitis: exigit hoc Christus Dominus, qui est primarius offerens & ipsa puritas: eáque de causa Discipulorum pedes abluit, ut innueret, summam requiri munditiam, etiam à pedum seu affectuum pulveribus. Postulat hoc jure oblatio munda & hostia purissima, requirit denique Deus purissimus, cui offertur, ad mundandam Ecclesiam: ut Sacerdotes sint Colati & purgati quasi aurum & quasi argentum Domino offerant sacrificium in justitia. *Malachiæ c. 3.*

III. *Intentio pura sit & finis quadruplex hujus divinissimi Sacrificii, semper sit ante oculos. I. Gloria Dei II Gratiarum actio pro beneficiis. III. Satisfactio pro peccatis. IV. Impetratio gratiarum. De quibus infrà praxis prolixior.*

IV. *Requiritur denique actualis devotio & fervor sancta sanctè tractandi: de quo S. Bonaventura: Cùm Sacerdos fuerit totus alteratus, & divinus effectus, ita*

ut nihil nisi Deum videat, tunc accede
Et S. Joannes Damascenus: Ardenti c
piditate ad eum accedamus, demiss
operam, ut per divini ignis perceptione
toti inardescamus, Dique efficiamur
æquum enim est, ut is qui sacrificium
flagrantissimo infiniti amoris excessu
stitutum à Deo, qui ignis consumens
immolaturus accedit, simili quoque de
tionis igne inardescere studeat.

V. *Hoc autem non obtinebitur nisi fo*
ventibus orationibus & profundis medi
tionibus, quarum materiam Scriptu
divina, SS. Patrum volumina, & lib
ascetici abundè suppeditant, quorum d
fectum ea quæ subjunguntur supplere p
terunt.

Petitio gratiæ.

Excita me indies, Domine, & reno
va virore gratiæ tuæ; ut ad stupendu
mysterium & cœleste sacrificium pe
agendum toties accedenti, nulla obr
pat vetustas, nulla ex consuetudine negl
gentia suboriatur; sed semper ita magnu
ita novum, jucundumque videatur h
myst

mysterium, ac si eodem die Christus primùm in uterum Virginis descenderet, aut in cruce pro salute mundi animam exhalaret. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

IGNIS ET LIGNA AD VICTIMAM HOLOCAUSTI EUCHARISTICI.

ADverte I. Quemadmodum Elias Propheta zelosissimus Holocaustum & ligna antè perfudit aquâ, ac deinde fusis ferventibus precibus ignem è cœlo evocavit, qui holocaustum & ligna succendit. 3. Reg. 18. *Ita fervens Sacerdos victimam suam quodammodò doloris & contritionis lacrymis antè riget, ac deinde precibus, suspiriis, & meditationibus amoris & devotionis ignem gratiâ divinâ adjutus excitet. Eo fine considerationes nonnullas subnecto, tanquam ligna quadam, quæ si vivâ fide apprehendantur, attentè ruminentur, atque ita expendantur, ut intellectus ea benè penetret ac perspiciat, ac luce Spiritûs Sancti accedente mens inlustretur, & ejusdem sacro calore dispo-*

disponente voluntas incalescat, om
confidam fore, ut in meditatione exar
cat ignis; & Sacrificans eodem accen
tur. Ex his igitur indies, aut quotie
aram facturus es foco tuo (memoriæ &
tellectûs) unum alterúmve lignum (co
derationem) appone, ne paulatim ig
fervoris extinguatur: nam ut ait Sa
mon Proverb. 6. Cùm defecerint lig
extinguitur ignis.

Adverte II. Ad pietatem augend
plurimùm valere compositionem veln
ginationem loci: v g. tempore Adve
Domûs Nazarethanæ, tempore Natiui
tis Stabuli Bethelemitici, in quo cer
Beatissima Virgine, S. Josepho innumer
que Angelorum multitudine Regem g
um stipante celebres: orationes præ
ratorias, gratiarum actionem, aliásq
preces recites.

Adverte III. Semper præmitten
psalmos præparatorios & orationes
Missali vel Diurnali, ab Ecclesia ordi
tas: quibus absolutis, pro temporis opp
tunitate & beneplacito ex sequenti
nonnulla addi poterunt. Per diem q

que suspiria seu preces jaculatorias crebrò emittere devotionem promovet: animum ad ignem divinum concipiendum disponit, conceptúmque diutiùs fovendum adjuvat. Cúmque sacrificium hoc omnium totius diei operum præcipuum, nobilissimum, præstantissimum ac divinissimum sit, in ejusdem præparatione & gratiarum actione adornanda meritò sumus prolixiores.

PRAXIS

Offerendi quadruplex sacrificium sublimes continens intentiones ind'éque usurpanda, vel breviùs, vel prolixiùs, ut sequitur.

I.

Oblatio Sacrificii, quatenus est Latreuticum, & dirigitur ad cultum & gloriam Dei omnipotentis.

OMnipotens sempiterne Deus, omni honore, amore & obsequio dignissime, ego N N. indignus famulus tuus, sacerdos tamen ordinatus & constitutus ad immolandam tibi hostiam laudis, coram te prostratus adoro, amo, laudo & bene-

benedico te, atque ab omnibus Creaturis omni modo possibili te laudari, amari, benedici & glorificari sine fine desidero. Agnosco præterea, ô infinita Majestas, propter infinitam perfectionem tuam infinitum ac summum tibi cultum, amorem & honorem deberi: Verùm scio eum tibi à nulla pura creatura exhiberi posse, nec quidquam inter omnia creata reperiri, quo divinæ Majestati tuæ debitum cultum, tanquam Creatori nostro exhibeamus. Ne tamen obligationi nostræ desimus, & ut Filii tui voluntatem impleamus, inter Sacerdotes plurimos à tuâ Christianitate velut ablegatos, & ego famulus tuus accedo ad peragendum Sacrificium latreuticum, ab ipsomet Filio tuo, Domino nostro institutum & offerri præceptum; quo nihil tibi potest accidere gratius, nec ullum potest esse sacrificium laudis & honoris excellentius.

Hoc itaque tam nobile Legis novæ Sacrificium, & infinitæ dignitatis hostiam ex toto corde quàm demississimè tibi offero, Summe Deus, scilicet ipsum me Unigenitum Filium tuum Jesum Christum

Domi-

Dominum & Redemptorem nostrum, panis & vini speciebus velatum. Quod sacrificium, cùm omnibus Abelis & Noë, Abrahæ & Melchisedech, totiúsque legis naturæ sacrificiis millies sit nobilius, omnibus legis Mosaicæ victimis, hostiis & holocaustis infinitè præstantius, Deus, non despicies. Suscipe igitur hunc dilectissimum Natum tuum, tanquam hostiam infiniti valoris, cum omnibus sacrificiis laudis & obsequiis, quibus ipse te olim glorificavit in terris, unà cum meritis Beatissimæ Virginis, ac totius Ecclesiæ triumphantis & militantis: in cultum latriæ tibi soli debitum, in testimonium divinæ excellentiæ & omnipotentiæ tuæ, in protestationem supremi Dominii tui in omnes creaturas, absolutiqúe imperii in vitam & mortem: ac in signum nostræ subjectionis & omnimodæ dependentiæ à te, quæ longè major est, quàm vel radii à sole, vel umbræ à corpore, vel caloris ab igne.

Atque utinam omnibus momentis vitæ meæ, omni possibili devotionis affectu te amâssem & glorificâssem, æternumque dein-

deinceps amarem & glorificarem! U
nam quoque mundus universus & om
regna ejus sic te mecum laudarent, gl
ficarent, & hoc SS. Sacrificium M
offerrent! sed quia innumeri sunt, ve
tra Ecclesiam gentilitatis cæcitate pe
si, aut hæreseos tenebris involuti;
intra Ecclesiam peccatorum sordibu
pulti; qui vel te non agnoscunt, vel a
tum, non ut par est, glorificant; sed
tiùs ore ac opere blasphemant & i
norant: in supplementum illorum
nium admittere dignare, Magne D
hoc sacrificium laudis; non tam per
nus meas, quàm Filii tui dilecti, qu
primarius offerens, immensi amoris
ardens, se in holocaustum omnino ac
sum tibi præsentat: in quo tibi inf
complaces & delectaris; ipse te omn
vice laudet & benedicat per infinitas
nitatis secula. Amen.

II.

Oblatio Sacrificii, quatenus est Eucharisticum.

Accedo deinde, liberalissime D

ut gratias debitas agam, & sacrificium Eucharisticum offeram: tanta enim multitudo bonitatis tuæ in profusa adeò collatione tot beneficiorum tam generalium, quàm specialium, tam corporis, quàm animæ, tam temporis, quàm æternitatis reperitur, ut nullus intellectus sive humanus, sive angelicus eam assequatur.

In primis elucet immensa hæc beneficentia tua in sacratissima Humanitate Christi Domini Salvatoris nostri; quam tot Sapientiæ & scientiæ, tot virtutum & meritorum, tot gratiæ & gloriæ incomparabilibus thesauris supra omnes Creaturas coronasti; eúmque in Patrem, Doctorem, Ducem ac Redemptorem nobis submisisti.

Elucet deinde eadem tua Bonitas, in glorioſa Filii tui Matre, quam admirandis quoque gratiarum opibus, admirabili electione, conceptione, virginitate, maternitate, & assumptione in cœlos honorasti, & nobis in Matrem & Patronam singularem concessisti.

Ulteriùs elucet quoque Bonitas illa, in cœlestibus Angelorum exercitibus, omnibusque

nibusque Sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum atque Virginum ordinibus, quos variis, & inusitatis favoribus, prærogativis & gratiis præventos, felicitate tua tantam in cœlo gloriam sublimâsti.

Neque minùs eluxit hactenus, & beatitudiedum elucet eadem liberalitas tua, Qua tota Ecclesia militante; quam fide, spe, charitate, sacramentis, aliisque efficacibus gratiæ auxiliis excitas, adjuvas, & æternæ felicitatis bravium suaviter & efficaciter perducis.

Et inter hos omnes, ego quoque servorum tuorum minimus, quot beneficiis singularibus, gratiisque eximiis à liberalissima manu tua cumulatus sum? Enumeret inter cetera, creatio mea, conservatio, redemptio, justificatio, prædestinatio, vocatio, ordinatio, donorum naturalium & supernaturalium continua multiplicatio, crebra corporis & sanguinis tui communicatio, periculorum animæ & corporis amotio, peccatorum condonatio, protectio, gubernatio, aliaque innumera tum nota, tum ignota beneficia; quæ

omnia
quis C
ne dic
sertim
tate tua
gloriam
beatitu
vens,
tantisq
gulis g
tibi de
ris &
corda
æstuan
agere
& qua
eas lau
infinita
que be
guloru
minim
ferre g
Ne
pro o
possun

omnia & singula quanti æstimanda sint, quis Cherubinorum aut Seraphinorum, ne dicam mortalium, assequetur? præsertim cùm profluant ex gratuita liberalitate tua, ex infiniti amoris incendio, & ad gloriam æternam, meamque perpetuam beatitudinem dirigantur?

Quàm cordialis proinde, quàm fervens, quàm interminabilis, pro tot, tantisque beneficiis, ab omnibus & singulis gratiarum actio, laus & benedictio tibi deberetur singulis momentis temporis & æternitatis? O si mihi ora & corda forent infinita seraphicis affectibus æstuantia, quibus te laudare & gratias agere valerem, quantopere exultarem! & quantillum tamen hoc adhuc foret, ad eas laudes & gratiarum actiones, quæ infinitæ Beneficentiæ tuæ pro tot tantisque beneficiis deberentur? quorum singulorum ea est excellentia, ut nec pro minimo illorum ulla creatura dignas referre gratias valeat.

Ne tamen animi ingrati labe notemur, pro omnibus hisce beneficiis omni quo possum & meo, & omnium creaturarum possibili

possibili affectu, te laudo, benedico, [finitè
tias immortales ago, & agere desid[e & pu
puro amore tui quàm perfectissim[e quàm
æternum & ultrà. Et ne coram te, D[. prosis
liberalissime, vacui appareamus; [. Sed ô
ceteriqúe sacerdotes tui legationes[. rum m
mur, & totius Christianitatis nomi[ne quàm
cedimus, & in sacrificium Eucharis[tic tur tot
offerimus divinæ Majestati tuæ uni[. singulo
tum Filium tuum Jesum Christum, D[. mentis
& hominem, cunctis veteribus [. condig
ficiis Eucharisticis infinitè præsta[. gravita
Suscipe illum cum omnibus ejus gr[. fundan
dinis excessibus, laudis sacrificiis, [. Filium
sequiis infinitæ dignitatis: cum om[. gunt,
insuper grariarum actionibus Bea[. dammo
Virginis Mariæ & omnium Sancto[. Hor
Utinam ego cum omnibus homi[. prope u
his & multò inflammatioribus affe[ctu ut inn
tibi gratias semper egissem & de[. Quot R
agerem pro beneficiis omnibus & s[. n Afric
lis, gratis, propter te, intensissim[e & idolo
sine fine. Amen. n imm
lunt,

III.

Oblatio Sacrificii ut est propitiat[. Regna

Venio præterea, Domine Deus me[. Urbes

finitè juste & misericors, cum tremore & pudore peccatorum tam propriorum, quàm totius mundi pondere gravatus; ut prolis offeram sacrificium propitiationis: Sed ô mi Deus! quanta est horum scelerum multitudo, tam olim commissorum, quàm quæ nunc incessanter committuntur toto orbe terrarum! quanta est malitia singulorum, quæ omnibus mundi tormentis, & æternis inferni incendiis infra condignum plectuntur! quanta est illorum gravitas & enormitas, quæ Dei leges pessundant, Christi sanguinem conculcant, Filium Dei rursus in semetipsis crucifigunt, & ipsius Divinæ Majestatis quodammodo jugulum petunt!

Horreo & expavesco, dum mundum prope universum peccatorum diluvio velut innatantem & immersum intueor. Quot Regna vastissima & populosissima in Africa, Asia & America in infidelitatis & idololatriæ cæcitate palpant, ideoque in immensam scelerum voraginem incidunt, & nunquam emergunt! Quot Regna & Principatus, quot Regiones & Urbes frequentissimæ per Europam in

hæreseos tenebris caligant, in summ nibus
bertate vitæ & laxitate conscientiæ constat
gunt, ac proinde in innumerabilium plango
catorum colluviem proruunt; in eæ to, milli
consenescunt, & velut jumenta in stæ segnitie
re suo computrescunt! Quot blæ præcipi
miis & perjuriis nomen sanctum tuum que per
totum orbem terrarum proscindi dum M
Quot odiis & inimicitiis, quot venere do! q
& homicidiis, quot fornicationibus hora
adulteriis, quot fraudibus & injuri Quà
quot furtis & rapinis, quot ambitio punctio
& superbiis, quot Sacramentorum peccata
tionibus & sacrilegiis Majestas tua plangere
ta indies irritatur, exacerbatur & la narum p

Quinimò ipsum regale Sacerdo pœniten
in Clericis & Religiosis quibus que me
(quod veluti Sol in Ecclesiæ firmam e, om
radiare deberet) quot, quantisque naria c
culis obfuscatur! Dum Sacerdotu quidem
superbiâ & ambitione, alii avaritiâ cere.
moniâ, alii simulatione & hypocri & singu
crapulâ & ebrietate, alii denique l & alieni
& impudicitiâ apertâ vel occultâ uitu, n
minentur! Et hos inter ego ipse ind more t
famulus tuus, quot noxis & imper menda

ſumm nibus quotidie commaculor! quantâ in-
entiæ constantiâ tibi ſervio! quoties peccata mea
lium plango, & mox rurſus plangenda commit-
in eam to, millies cadens, millies reſurgens! quantâ
in ſa ſegnitie paſſionum impetus domo; quantâ
t blá præcipitantiâ & oſcitantiâ horas, precéſ-
tuum que perſolvo! quantâ tepiditate ad tremẽ-
ſcindum Miſſæ Sacrificium celebrandum ac-
venio! quot pretioſas nobiliſſimi tempo-
ionibus horas otioſè & infructuoſè impendo!
injuſ Quàm intenſo igitur doloris & com-
bitio punctionis affectu, hæc mea, alienaque
rum peccata numerum arenæ maris æquantia
tua plangere, quàm largo perenníque lacry-
& la narum profluvio eadem deplorare, quibus
cerdo pœnitentiæ operibus expiare diu noctú-
ibuſq que me oporteret? Verùm ſcio, Domi-
irman ne, omnium mortalium lacrymas, etſi
tiſqu maria omnia & flumina ſuperarent, ne
dotu quidem unico peccato dignè eluendo ſuf-
ariti ficere. Doleo nihilominus de omnibus
pocu & ſingulis, magnis & parvis, propriis
que l & alienis peccatis, idque non præmii in-
ultâ uitu, nec ſupplicii metu, ſed ex puro
ſe ind more tui. Cupio omnia pro viribus
mper mendare, & contrariis virtutum actibus

compensare, cum spe veniæ apud te Majes
trem Misericordiarum: quam ut sine medi
infinitæ justitiæ tuæ præjudicio præ nostru
possis; en in compensationem totius tamqu
rum, cùm aliud pretium suppetat nul subsid
offero tibi dilectissimum Filium t sacrific
Dominum nostrum Jesum Christ abyssu
hostiam placationis dignissimam & pro qu
cientissimam, pro meis & totius m mihi i
peccatis; unà cum omnibus ejusdem h concup
mis, laboribus, opprobriis & sang digenti
effusionibus infinitæ dignitatis, num,
cum lacrymis & meritis omnium mæ &
tentium & Sanctorum. Utinam num luctam
te Deum meum infinitè amabilem ex quib
dissem, nec offenderem posthac in animar
num! Utinam crebriùs, ferventiùsq; Licè
nam hanc propitiationis hostiam ob & aux
sem & porrò offerrem! utinam iden meritò
cum præstarent, præstitissent, semp catorun
deinceps præstarent Sacerdotes o nitaten
omni possibili devotione, purè prop Domin
usque ad supremum vitæ halitum, morten

IV.

Oblatio Sacrificii ut est Impetrator

LEgatione quoque fungor, ô sp

Majestas ; & ab Ecclesia tua mittor ut medius stem inter te Deum & Dominum nostrum ac populum tuum, & pro tot, támque gravibus ejusdem necessitatibus subsidium ac medelam hoc sacrosancto sacrificio impetrem. Quanta enim est abyssus miseriarum mearum, & omnium, pro quibus hostiam pacificam immolare mihi incumbit ? quanta est multitudo concupiscentiarum, infirmitatum, indigentiarum, persecutionum, tentationum, tribulationum & ærumnarum animæ & corporis; quibuscum indies colluctamur, tamque diuturno tempore; ex quibus tamen aut beata aut misera tot animarum pendet æternitas ?

Licèt autem populus tuus omni solatio & auxilio se indignum profiteatur, & meritò exaudiri non debeat, propter peccatorum suorum multitudinem, & enormitatem ; memor tamen promissionis Dominicæ à Salvatore suo in ultima ante mortem nocte sibi factæ, quâ spopondit omnia à Patre cœlesti impetranda, quæ in nomine suo peterentur; me alios q; Sacerdotes subordinavit, ut non solùm preces

fundamus, verùm etiam sacrificium cificum offeramus, optatúmque solat impetremus.

Ad has igitur tam innumerabiles, viſſim áſque miſerias propulſandas, niáque ad ſalutem media impetrand fero divinæ Majeſtati tuæ in hoſtiam cificam, dilectiſſimum Filium tuum ſum Chriſtum Redemptorem noſtru ara præſentem, unà cum infinitis ejus meritorum theſauris, Beatiſſimæque ginis & omnium Sanctorum; tam me, mihique commiſſis, quàm pro nibus aliis fidelibus & infidelibus atque defunctis. Amen.

Subjunge Memento pro iis, qu ſingulariter memorem te eſſe oport pro quibus ſecundariò ſacrificium of hâc, ſimilíve methodo.

MEMENTO.

In ſpecie autem offero, amanti Deus, hoc pretioſiſſimum ſacrifi quod vi impetrandi infinitâ poller, ſequentibus.

I. Memento, Domine, Eccleſiæ tui Sponſæ, omnibúſque & ſingul

Filiis gratiam copiosam infunde, fidem & vitæ sanctimoniam in iis auge, justos in gratia tua conserva, peccatores ad veram pœnitentiam converte, ac totam Ecclesiam tuam per zelosos apostolicósque viros instrue, rege, perfice, dilata usque ad consummationem seculi.

II. Memento etiam, Domine, Summi Pontificis nostri N. Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, Præsulum & Pastorum, ut statui suo sublimi convenienter in omni sanctitate & justitia vivant; oves & agnos sibi commissos, tanquam Pastores boni, oratione, verbo, & exemplo fideliter pascant; & à Lupis infernalibus sollicitè custodiant.

III. Concede quoque, ô Domine! gratiam efficacem, omnibus Sacerdotibus ac Clericis, Canonicis & Vicariis, Diaconis & Subdiaconis, ut clericali dignitati dedecori non sint, nec ulli vitæ pravitate scandalum præbeant; sed pii, casti, sobrii, & sancti sint Deo suo, & non polluant nomen ejus.

IV. Effunde etiam copiosum gratiæ tuæ rorem, super omnes religiosos Ordi-

nes, ut per exactam votorum & regu
rum suarum observantiam, velut per
tidem gradus, ad omnis perfectionis
sanctitatis culmen ascendant.

V. Miserere deinde Imperatoris nos
N. Regum & Principum Christianor
Acatholicos ad veræ Ecclesiæ gremi
potenter revoca; Catholicos tuâ s
gratiâ dirige, ut subditis suis benè
sint, in pace & concordia mutua eos
conservent, de hostibus Ecclesiæ tri
phent; & ipsi sic per bona tempor
transeant, ut æterna non amittant.

VI. Adesto quoque, Domine, Pa
tibus, Fratribus, Sororibus, Affinib
Amicis, Benefactoribus, Superiori
Magistris, & Confessariis meis, omnib
que mihi à te commissis, ac in pa
mihi commendatis; ut hanc vitam, sec
dùm voluntatem tuam, sobriè, juste
piè transigant, & pro beneficiis
præstitis uberem in cœlo mercedem
piant.

VII. Subveni præterea omnibu
flictis, ægris, captivis, exulibus, tent
itinerantibus, nascentibus, & toto
terra

terrarum agonizantibus; ut eos gratiâ tuâ adjuves, solatio recrees, consilio dirigas, de omnibus necessariis provideas, & ad optatum æternitatis felicis portum perducas.

VIII. Respice etiam oculo benigno tot milliones Ethnicorum, Turcarum, Judæorum, Hæreticorum, Schismaticorum & Atheorum in præsentissimo æternæ damnationis periculo versantium; & omnium illorum miserere: gratiâ tuâ efficace eos præveni, veræ fidei radius eos collustra, timore tuo eosdem confige & amicâ quâdam violentiâ ad Ecclesiæ tuæ ovile intrare compelle; ne tot animarum, Jesu Christi Filii tui sanguine redemptarum myriades æternùm pereant, & in opprobrium tuum infernum repleant.

IX. Ulteriùs, Domine ignosce inimicis meis, quia nesciunt, quid faciunt, pro malo, quod mihi optant aut inferunt, omni benedictione cœlesti eos reple, eosdémque non inter inimicos, sed amicos tuos peculiarissimos numerare dignare.

X. Succurre quoque omnibus fideli-

bus defunctis, præsertim iis, quibus
gis obstrictus sum. I. Parentibus, Fra
bus, Sororibus, Amicis & Benefacto
bus. II. Animabus aliàs diutissimè
purgatorio attinendis. III. Animab
liberationi proximis. IV. Animabus
fragiis vivorum maximè destitutis. V.
gularibus Jesu & Mariæ Cultoribus
maximè Deum in cœlo glorificaturis.
sanctos Angelos Costodes earum illas
lare, flammas tempera, pœnæ tem
abbrevia, ut tormentis hisce citiùs e
tæ conspectu tuo amabilissimo æter
perfruantur.

XI. Denique etiam & in primis,
ferere mei Deus, minimi famuli tui,
niaque ad salutem & perfectionem
mei requisita, clementer indulge. Er
dem I. Intimam pœnitentiam & ple
omnium peccatorum meorum rem
nem & indulgentiam. II. Robur &
lium contra tentationes, præsertim
ximè me infestantes. III. Perfectam
cii & amoris proprii, cæterarumque
sionum mortificationem. IV. Va
Mundi & omnium vanitatum ejus
temp

temptum. V. Fidem vivam, Sapientiam & illustrationem intellectûs in rebus divinis. VI. Spem & fiduciam firmam, in paternam Dei providentiam. VII. Prudentiam in medio, vitatis extremis, semper attingendo. VIII. Justitiam & voluntatem suum cuique tribuendi. IX. Temperantiam & sobrietatem exquisitam ad normam veterum Sanctorum. X. Fortitudinem & magnanimitatem in aggrediendis arduis & animum heroicum in quibuscunque adversis. XI. Sinceram intentionem, uni Deo in omnibus perfectè placendi. XII. Fervens desiderium & studium veræ humilitatis. XIII. Donum Castitatis angelicæ. XIV. Invictam in contumeliis & persecutionibus patientiam & mansuetudinem. XV. Assiduam Christi Domini in agendo & patiendo imitationem. XVI. Indifferentiam omnimodam in officiis, negotiis, locis, juxta Dei & Superiorum voluntatem. XVII. Plenam propriæ voluntatis resignationem, & cum divina conformitatem. XVIII. Sinceram & inflammatam Dei & proximi charitatem. XIX. Zelum insatiabilem

bilem & infatigabilem augendæ glori
divinæ, & procurandæ salutis alien
XX. In fide, charitate, statu, gratia
perseverantiæ sui alis. XXI. Ardens p
triæ cœlestis desiderium. XXII. Resigu
tissimum & sanctum ex hoc mundo egr
sum, & absque purgatorio, ingressum
cœlum.

IGNIS ET LIGNA
seu
Considerationes & affectus
ad victimam Holocausti Eucharistic
Tempore Adventûs
pro septem hebdomadis diebus.

ANTE SACRUM
Consideratio excitatoria.

COnsidera, Anima mea, solemn
inaugurationem Principum hu
mundi, ut ad Principum omnium M
narcham ritè excipiendum animeris. Q
sumptu & magnificentiâ equitum & eq
rum; quo splendore nobilium & aul
rum; quâ pompâ curruum & rhedar
quo concentu & symphoniâ musicor
quo strepitu tubarum & tympanorũ;
tot

tonitru tormentorum & bombardarum, quo luxú conviviorum & epularum; quo ornatu palatiorum & peristromatum; quo plausu tribuum & populorum excipiuntur Reges & Principes terrarum, qui tamen, utpote mortales, tanquam atomi & pulviſculi terræ ſunt, ſi cum Majeſtate Dei infinitâ componantur? atque inde conclude, quo apparatu devotionis & precum, quo ornatu virtutum, quâ præparatione animæ potentiarum, quâ magnificentiâ, non exteriore quam deſpicit, ſed interiore tantam Dei Majeſtatem excipere & tractare par ſit. Hanc expende, inter ſe confer; & excitaberis.

Suſpiria per diem.

I. Rorate cœli deſuper & nubes pluant Juſtum: aperiatur terra & germinet Salvatorem. *Iſaiæ* 45.

II. Utinam dirumperes cœlos & deſcenderes: à facie tua montes diffluerent. *Iſai.* 64.

III. Quis mihi det te Fratrem meum, ſugentem ubera matris meæ, ut te inveniam, & deoſculer te, & jam me nemo deſpiciat. *Cant.* 8.

CHRISTUS Frater noster.
Matth. 28. *Joan.* 20.

Consideratio & Affectus. I.

De Corpore Christi. Pro die Dominica

QUis mihi det Te, per incarnationem Fratrem meum, olim in stabulo natum & sugentem ubera Matris meæ Beatissimæ Virginis; jam verò beatum & glorificatum in cœlis; ut inveniam te in augustissimo Altaris Sacramento, & deosculer te, amanter sumendo; & tu vicissim osculeris me osculo oris tui; ut quemadmodum osculum incarnationis dedit naturæ nostræ, eidem hypostaticè unitæ sic osculum mihi des reconciliationis & sanctificationis, corpori & animæ meæ intimè conjunctus: & jam nemo amplius sive Hominum, sive Angelorum, me despiciat, ob tot nævos & infirmitates, quas ob absentiam visitationis tuæ patinus ruo? Ah! credo, spero, amo Deus meus:

Desidero te millies!
Mi Jesu, quando venies?
Et osculum hoc tribues?

Quis mihi det te, mi Frater Emmanuel & in primis sacratissimum corpus tuum, non jam ampliùs in uteri virginalis claustro, sed sub sacrarum specierum velo deliteſcens, non mortale, sed immortale; non obscurum, sed sole ipso millies splendidius, agile, subtile, glorioſum; tantâ pulchritudine & elegantiâ, ut omnium intuentium corda rapiat! Credo, spero, amo te Deus meus:

Desidero te millies!
Mi Jesu quando venies?
Ut Frater Fratrem visites?

Consideratio & Affectus II.

De Anima Christi. Feria II.

QUis mihi det, te Fratrem meum ô Jesu gratioſissime! & sanctissimam Animam tuam, divinitatis sole penitus indutam, cum gratia adeò immensa, ut incomparabiliter omnes gratias excedat omnium Hominum & Angelorum: tantâ sapientiâ & justitiâ plenam, quanta decet Animam personaliter unitam Unigenæ Filio æterni Patris, qui sol est splendoris infiniti, in cujus præsentia omnes cœle-

stium

ſtium Hierarchiarum Spiritus longè
nùs ſplendent, quàm ſtellæ in præſe
Solis. Credo, ſpero, amo te, Deus me
Deſidero te millies!
Mi Jeſu quando venies?
Ut verè me ſanctifices?

Conſideratio & Affectus III.

De Intellectu Chriſti. Feria III.

QUis mihi det te Fratrem meum, ô J
Sapientiſſime! & perſpicaciſſim
intellectum tuum, in quo ſunt omnes th
ſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſcond
tu enim non tantùm intellectu divi
verùm etiam humano lumine gloriæ il
ſtrato excellentiſſimè vides divinam
ſentiam, Sanctiſſimam Trinitatem,
mneſque ſcientias naturales perfectiſſ
poſſides: à quo omnis ſcientia & ſapie
tia dimanat Hominum & Angelor
Credo, ſpero, amo te Deus meus: Deſi
ro te millies! mi Jeſu quando venies?
plenè me illumines?

Conſideratio & Affectus. IV.

De Memoria Chriſti. Feria IV.

QUis mihi det, te Fratrem meum
Jeſu omniſcie! & perfectiſſimam
mori

moriam tuam, quâ tenes & clarissimè cognoscis omnia præterita, præsentia & futura: omnia dicta, facta, cogitata bona & mala hominum & Angelorum; & mea in primis delicta, totius vitæ curriculo commissa, ut punias, opera verò bona ut præmio afficias. O Anima mea! aperi oculos fidei: en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos specierum sacramentalium, omnia penetrans etiam cordis intima. O Domine! ne memineris iniquitatum nostrarũ antiquarum; citò anticipent nos misericordiæ tuæ: si enim iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit? Credo, spero, amo te, Deus meus: Desidero te millies! mi Jesu quando venies? meásq; noxas ablues?

Consideratio & affectus V.

De Voluntate Christi. Feria V.

QUis mihi det, ô Frater amabilis! cum anima, voluntatem tuam in venerabili Sacramento quoque absconditam, omnibus Sanctitatis & virtutum thesauris refertissimam, instar fornacis ardentem amore Dei & proximorum; & mei in primis minimi & indigni Fratris tui: atque

atque instar solis, humilitatis & mans tudinis, patientiæ & obedientiæ, char tis & misericordiæ radios longè late evibrantem? credo, spero, amo te D meus: Desidero te millies! mi Jesu qu do venies! ut me tibi assimiles.

Consideratio & Affectus VI.

De Corde Christi. Feria VI.

QUis mihi det, te Fratrem meum amabile cor tuum, plenum thesa cœlestibus omnium deliciarum, quas bis ex copiosissimo flumine gaudio Dei, usque ad summam saturitatem sideriorum tuorum, in tanta plenitud ut quod supereffluit, replere possit om lætitiâ? O vinum lætificans cor homi lætifica me! ô manna absconditum c dulcedine immensa, refice me! O ma na cœleste, in quo sunt omnes saporet suavitates possibiles ad delicias & sola Justorum, recrea me! O panis ping præbens delicias Regibus non vitior suorum mancipiis, exhilara & confo me! Indignum fateor est hisce cupe cor meum, terrena adhuc sapiens, & pidè quæ sursum sunt, quærens: sed

men, credo, spero, amo te Deus meus: Desidero te millies! Mi Jesu quando venies? me lætum quando facies?

Consideratio & Affectus VII.

De Divinitate Christi. Sabbatho.

QUis mihi det, te Fratrem meum, ô Jesu diviniſſime! Unigenitum Patris Filium infinito noſtri amore æſtuantem; & propter nimiam charitatem ſic ſe exinanientem, atque ad nos fratres degeneres ac moribus diſſimiles te demittentem? Quis mihi det quoque æternum Patrem tuum, Creatorem noſtrum ſic nos diligentem, ut te Filium ſuum unigenitum nobis daret, & tecum propter naturæ divinæ unitatem ad hoc Sacramentum deſcenderet! Quis mihi denique det Spiritum Sanctum, Paracletum, & Advocatum; amoris infiniti incendium, tecum & cum Patre ad nos orphanos venientem & manſionem apud nos facientem? O Abyſſus charitatis & miſericordiæ! ô exceſſus liberalitatis & beneficentiæ! Ah! Credo, ſpero, amo te Deus meus: Deſidero te millies! mi Jeſu quando venies? Ut mortuum vivifices, Et hominem deifices?

Affectus

Affectus virtutum considerationibus pr dictis indies subjungendi.

I. FIDES.

QUis mihi det, ô Jesu amantissime! fide vivâ te suscipiam, firmissimèq credam, & sanguinem pro hac veri profundam; quòd, sicut propter nimi charitatem quâ dilexisti nos, non repud immensâ Majestate tuâ indignum, for servi suscipere, materna viscera subit postmodum in crucis stipite inter latron animam exhalare, ut nos redimeres; quoque non dedignatus sis, formam assumere; ad nos pauperculos Fratres descendere, interiora nostra penetra esurientésque pascere, ut donis tuis c lestibus nos repleres. Ah! credo, spe amo te Deus meus: Desidero te mill mi Jesu, quando venies? ut fidem me robores?

II. HUMILITAS.

QUis mihi det, ô Jesu humillime, co omnium Sanctorum humilitate, hoc Sacramentum & sacrificium treme dum accedere? sed quâ fronte audeo pr propinquare ad te, Fratrem excellen

& dignitatis infinitæ? Eccetu pulcher es, Dilecte mi, & ego deformis : tu mitis es, & ego ferus; tu lenis es Jacob, & ego Esau pilosus, tuisque sanctis moribus dissimilis.

Tu pulcher es, dilecte mi, secundum divinitatem: quia splendor es gloriæ Patris, Candor Lucis æternæ, *omnem pulchritudinis rationem & perfectionem infinitam à te ipso ab æterno possidens, sine ulla diminutione aut variatione; exemplar, prototypon, fons & causa omnium pulchritudinum creatarum & possibilium.* (*S. Dionys.*) Et quomodo audebit accedere ad te, mea deformitas? Umbra ad Solem lucidissimũ, ad splendorem immensum caligo, ad ignem infinitum fumus

Tu pulcher es, dilecte mi, etiam secundùm Humanitatem, propter unionem ad Verbum, & visionem beatificam, atque ob inexhaustos gratiarum torrentes; speciosus formâ præ filiis hominum tam regnantium in cœlis, quàm in terris militantium. Et quomodo conjungetur candori fuligo, puritati macula, malitia Sanctitati? O Frater charitatis & liberalitatis

litatis immensæ! vel guttulam aspergen
immenso gratiarum tuarum oceano, r
sordibus peccatorum & imperfectionu
ablutis, dignior accedam ad fontem pur
tatis. Radium concede ex splendidissim
Sole, ut, fugatis tenebris, in lumine tu
videam, cognoscam, amem te Lumen
ternum, tibique quodammodò assimil
tus, & conjunctus amore, illustre parel
efficiar. Credo, spero, amo te Deus me
Desidero te millies! mi Jesu quando v
vies, & humilem me facies?

III. SPES.

QUis mihi det te Fratrem meum, tu
tâ spe & fiduciâ in Sacramento susc
pere; quantâ vel ipsa Mater tua sanctiss
ma, vel ullus amicorum tuorum unquam
te suscepit! sed cùm ea desit; firmissimèq
men in effusissimâ benignitate tuâ confid
Quid enim negabis indigo & paupercul
Frater ditissimus & liberalissimus? O Fi
Regis æterni? O Cœlestis Jonatha? qui
ego non sperem à Te si David, si amicu
tuus esse studeam? Si enim Jonathas ex
spoliavit se tunicâ suâ, deditq; eam Dav
di; & reliqua vestimenta sua, usq; adgl
dium

dium ſuum & arcum ſuum, & uſq; ad baltheum; quid non exſpectabo à te millies ditiore & liberaliore? qui amore noſtri exſpoliaſti & exinaniviſti te, formam ſervi & cibi accipiens, ut nos virtutum tuarum veſtimentis & armis exornares? Credo, Spero, amo te Deus meus: Deſidero te millies? Mi Jeſu quando venies, ut ſpem meam corrobores?

IV. CHARITAS.

QUis mihi det te Fratrem meum amantiſſimum, in hoc amoris Sacramento tam fraternâ tenerâque dilectione complecti, atque ullus amantium unquam te complexus eſt? Quemadmodum anima Jonathæ conglutinata fuit animæ David, & dilexit eum Jonathas quaſi animam ſuam: ſic & tu, divine Jonatha, conjungere & conglutinare animæ meæ; eámque dilige, ſtringe & amplectere quaſi animam tuam: indue eam, obſecro, pretioſâ gratiæ tuæ tunicâ; orna eam præclaris virtutum tuarum veſtimentis, donorúmque cæleſtium armis; ut ſimus cor unum & anima una: ſiquidem tu es anima meæ animæ, vitæque meæ vita, per quam

ſum

sum & vivo. O si cum Apostolo in ritate dicerem: Vivo ego, jam non e vivit verò in me Christus: Gal. 2. C do, spero, amo te Deus meus: Desi ro te millies! Mi Jesu quando venies me amore vulneres! & me tecum c glutines!

Oratio I. ad B. V. Mariam pro ope & assistentia in Sacro.

ASsiste mihi sacrificanti benigniss Mater, & Virgo Maria, ut Filiu tuum unigenitum, quem purissimis ceribus concipere & portare meruis ego mundo corde & casto corpore re pere merear. Per eundem Christum D

Oratio II. ad SS. Angelos.

S. Archangele Michael. S. Gabriel, Raphael, tuque in primis S. mi An le Tutelaris assistite mihi ad aram facie cumque me virtutibus & meritis desi tum videatis, vestris me virtutibus & ritis exornate; ne in hoc divino co vio sine veste nuptiali comparens v indignus repellar.

Or

Oratio ad Sanctum hodiernum de quo Sacrum celebratur.

IMpetra mihi ô Sancte N. à Rege Sanctorum omnium Jesu Christo Domino nostro, ut eâ puritate, intentione, & attentione hæc sacrosancta Mysteria peragam & suscipiam, quâ tu in terris quondam eadem peregisti aut suscepisti; Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen

Agenda sub Sacrificio Missæ.

Imaginare tibi vel domum Nazarethanam, aut ædes S. Zachariæ ejusdémque Sanctos incolas, aliúmve pium locum in quo celebres, & toto sacrificij tempore mysteria vitæ Christi in Missa repræsentata, memoriâ recole.

I. sub descensu ex altari considera Dei Filium de cœlis descendentem in uterum Virginis. II. sub Introitu & Kyrie desideratum à Patribus. III. sub Gloria Christum natum. IV. sub collectis agentem vitam privatam. V. sub Epistola & Evangelio Concionantem. VI. sub Offertorio anhelantem & præparantem se ad ultimam

timam Cœnam & Crucem. VII. Sub [illegible]
fatione ingredientem Hierosolym[illegible]
VIII. Sub Elevatione crucifixum. [illegible]
Canone passum, mortuum, sepultum. [illegible]
Sub Pax Domini, Resurgentem. X. [illegible]
Communione, per gratiam & præsentiam
Sacramentalem se unientem fidelibus. [illegible]
Sub Benedictione ascendentem ad cœ[illegible]
XII. Sub Evangelio S. Ioannis venturum
Judicem.

Sub consideratione horum mysteriorum
eliciendi actus fidei, spei, charitatis, hu[illegible]
litatis, contritionis, compassionis, gau[illegible]
gratitudinis, adorationis, glorificationis, [illegible]
nis, v.g. Ad Kyrie, ter à Deo Pa[illegible]
ter à Christo, ter à Spiritu Sancto
tendo ut misereatur. Ad Gloria,
animo Deum laudando, benedicendo,
Ad Evangelium & Symbolum, fidem
ercendo, ad singulos articulos dicendo
do. Cum tota cœlesti aula ingemin
Sanctus. Ante Consecrationem renov
intentionem, optando & præfigendo
quam Christus instituens, & postea
habuêre. Sub Elevatione Christum
terno offerendo. Sub genuflexione

[illegible] stum ad
[illegible] is ador
[illegible] ne, inti
PO
Abso
[illegible] ali vel
[illegible] ibus. S
[illegible] surpar
O Do
cred
[illegible] tivi, qui
[illegible] reator
[illegible] ator me
[illegible] eptus &
[illegible] que Frat
[illegible] ultis Fr
[illegible] cti, jamq
[illegible] undi, r
[illegible] le mod
[illegible] nvisere
[illegible] dificatio
[illegible] a nomin
[illegible] alva me

stum adorando, atque ab omnibus creatu-
ris adorari eum optando. Sub Communio-
ne, intimè ipsi uniri desiderando, &c.

POST SACRIFICIUM.

Absolutis consuetis orationibus ex Missali vel Diurnali, aliisq; privatis devotionibus. Si tempus ferat, hi similesve affectus usurpari queunt.

I. FIDES.

O Domine! ego fide firmâ credo, & credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti: Tu es Creator meus, Salvator meus & Glorificator meus. Tu Spiritûs Sancti operâ conceptus & natus es ex Maria Virgine, ideóque Frater noster es, imò primogenitus in multis Fratribus. Tu es qui venturus fuisti, jamque venisti Messias & Redemptor mundi, non alium exspectamus. Tu idem tale modò in hoc amabili Sacramento me invisere dignatus es, meæ salutis & sanctificationis gratiâ. Benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israël! O sanna! salva me in excelsis.

II. ADORATIO.

ADoro te devotè latens Deitas, & nium hominum à mundi primo adventum Messiæ præstolantium ac tionibus te adorare desidero. Ador Salvator mi, & omnibus illis adorat bus, quibus te incarnatum & Angel cœlis, & B. Mater tua adoravit in te adorare te cupio. Quàm gaudeo tot g flexiones, tot internas externásque ac tiones, tot capitis corporisque inclina nes, tibi exhiberi tam regnanti in c quàm exposito in aris, aut elevato in S ficiis. O Jesu Frater amabilis! Esto D nus Fratrum tuorum, & curventur co te Filii Matris tuæ, adorèntque teb Ecclesiæ Filii, unà cum Hæreticis & fidelibus!

III. HUMILITAS.

SEd unde hoc mihi, ut veniat Dom & Deus meus ad me? Dominus ad vum, Justus ad Peccatorem, ad Ca innocens Abel, ad Esau mitis Jacob iniquum Sanctus Sanctorum! Q dignatio! verè Domine, non sum d ut intres sub tectum meum; sed quo

tibi sic placet implere omnem justitiam, ejusdem me participem redde. Utinam in adventu tuo omnia idola Ægypti,& monstra vitiorum meorum corruant! Utinam omnis mons & collis superbiæ humilietur;& vallis, humilitatis gratiâ repleatur! ut sint prava in directa, & aspera in vias planas,summâque lætitiâ ad me revertas.

IV. SPES.

TU es, Domine, spes mea, à juventute mea: tu es summum bonum meum, quod super omnia & præ omnibus bonis desidero, ad quod toto corde tanquam ultimum scopum anhelo. Innixus huic infallibili promissioni tuæ: Qui manducat hunc panem vivet in æternum. *Joan.* 6. non tantùm omnia media ad salutem necessaria, verùm vitam, gratiam, & gloriam à te spero: tu enim es spes omnium finium terræ & in mari longè, à quo omnes nationes bona sua exspectant & petunt. O liberalissime Jonatha, nostri amore ardens, in te confidit Anima mea: Da igitur pretiosam gratiæ divinæ tunicam; da pulcherrima charitatis & virtutum supernaturalium vestimenta; tribue etiam donorum Spiritûs

Sancti arma & auxilia gratiæ huic
mento propria ; adde gladium, & a
inspirationum tuarum, ad hostes univ
fortiter debellandos : quin & baltheo
me præcinge, quo tanquam miles tuu
signatus sub crucis Labaro strenuè mil
& coronam legitimè certantium ob

V. CHARITAS.

O amabilissime Emmanuel ! te
nunc intimè præsentem amo int
magis atque magis amare te desider
nitè amabilem. O si dulcissimo & a
sissimo corde Matris tuæ te dilige
vel Seraphinorum amore æstuantiu
cendia sentirem ! Amore tui impuls
culor in spiritu amabiles pedes & re
manus tuas, ac benedictionem flagit
culor divinum cor tuum, fornacem
ris ardentissimam, & ejusdem scint
postulo. Osculor, si sinis, sacratiss
Os tuum, & spiritum tuum haurie
dero. Amplector totum tenerrimu
pusculum tuum ; & arcto amoris vi
tecum uniri cupio. At tu vicissim
amantissime Salvator, non nega mi
sulum instructionis per illumina

internas & sacras literas: da mihi osculum familiaritatis per conversationem internam: osculum amicitiæ per incrementum continuum charitatis & gratiæ, peculiariàque auxilia fortiter excitantia, adjuvantia & extollentia animam meam ad te summum bonum meum. Denique osculum mihi præbe beatitudinis æternæ, quo Essentia tua divina animæ meæ jungatur & perpetuò possideatur in cœlesti gloria. Amen.

V I. *Gratiarum actio, Oblatio.*

REdemptor mi & Frater, totus desiderabilis, quanta tua est erga me pauperem liberalitas! præbuisti mihi sacratissimum corpus tuum cum membris omnibus: dedisti nobilissimam animam tuam cum potentiis & thesauris sapientiam, scientiæ, charitatis, virtutum & meritorum tuorum: Adoro, laudo, benedico te, & gratias summas refero: sed quid re» pendam amori tanto? Suscipe Domi» ne universam meam libertatem; acci» pe memoriam, intellectum, atque vo» luntatem omnem: quidquid habeo vel » possideo mihi largitus es; id totum resti-

tuo

„ tuo ac tuæ prorsus voluntati t
„ gubernandum: amorem tui solùm
„ gratia tua mihi dona, & dives sum
„ nec aliud quidquam ultrà posco. S
„ *natius in libel. exercit.*

VII. PETITIONES

Liberalissime Salvator, & primog
omnis creaturæ, visitare jam digu
es egenum Fratrem tuum, & in dom
ejus descendere: utique ut in tem
opportuno aperias manum tuam & c
me impleas benedictione: effice i
nunc id, ad quod venisti.

I. Veniens in domum Zachariæ, J
nem cognatum tuum mox â peccato
ginali mundasti: similiter lava mea
quitate mea, & â peccatis meis etiam
nimis, munda me.

II. Eundem Præcursorem tuum r
sti Spiritu sancto: ah! Spiritum sanctu
um ne auferas à me; sed Spiritum rec
innova in visceribus meis!

III. Usum rationis Baptistæ tuo
leresti, ut te Verbum Divinum incarna
agnosceret. Illustra quoque me, ut n
rim te, & effectus sentiam tuæ beatif
præsentiæ.

IV. Tantâ nervorum tuum perfudisti lætitiâ, ut præ gaudio exultaret in utero: ah! me quoq; dignum effice; cui infundas lætitiæ spiritum, cum tantis jubilis, ut extra meipsum effundar & exire cupiam.

V. Dono prophetiæ illum exornasti, & mox ipso opere prophetavit & innuit præsentiam Salvatoris, tollentis peccata mundi. Concede mihi ut perfectè tibi serviam operibusque prophetem, te Agnum Dei esse qui vitam & salutem mundo tribuas.

VI. Elisabetham Præcursoris tui Matrem Spiritu sancto afflâsti, atque ad agnitionem & laudes sanctissimæ Genitricis tuæ excitasti. Obsecro, reple me, excita me & omnium corda fidelium ad Virginis Matris tuæ præconium.

VII. Denique quemadmodum Beatum Baptistem tuum vi visitationis tuæ, ad vitam sanctam, abstinentiâ, pœnitentiâ & contemplatione mirabilem ducendam roborasti; ita & mihi ejusdem temperantiæ, pœnitentiæ, orationis, aliarúmque virtutum constantem effectum imprime, ut novis visitationibus & gratiis dignus efficiar. Qui vivis & regnas &c.

Hymnus & Benedictio.

BEnedic Anima mea Domino, & om
quæ intra me nomini ſancto ejus,

Benedicite Appetitus & memoria
Domino; laudate & ſuperexaltate eum
ſecula.

Benedicite Intellectus & Ratio
Domino; laudate & ſuperexaltate eum
ſecula.

Benedicite Spiritus & Voluntas
Domino; laudate & ſuperexaltate eum
ſecula.

Benedicite Corpus & omnia oſſa
Domino; laudate & ſuperexaltate eum
ſecula.

Benedicite Venæ & arteriæ, nervi
omnia membra mea Domino; laudate
ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite ſenſus & potentiæ mea D
mino; laudate & ſuperexaltate eum
ſecula.

Benedicite omnia opera Domini D
mino; laudate & ſuperexaltate eum
ſecula.

*Vbi ſemihoram, aut ſaltem horæ q
dranem recollectioni dederis, Benedi*

nem pete dicens: Recedo à te paululùm, mi Jesu, sed non sine te; at non dimittam te, nisi benedixeris mihi, ô Benedicte in secula!

Mihi indignissimæ creaturæ suæ benedicat Omnipotens Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Amen.

Observa hoc tempus à Sacro pretiosissimum, aptissimumq; esse ad omnia dona à Salvatore præsente impetranda: ideoq; non festinandum ad lectionem, scriptionem, aliáve etiam spiritualia: quid Libri te docebunt, quod ab hoc Magistro non disces uberiùs! Proponee i necessitates tuas & particula boni doni non te prætereat.

II.

IGNIS ET LIGNA AD VICTIMAM HOLOCAUSTI EUCHARISTICI.

Seu

Considerationes & affectus

Pro Missæ Sacrificio à Nativitate Domini ad Quadragesimam.

CHRISTUS MAGISTER.

Magister vester unus est Christus, *Matth*

Considerat io excitatoria.

SAlomon Regum sapientissimus Te plum Majestati divinæ magnificen mum septem annis condidit; tanto sp dore & elegantiâ, ut nihil in eo reperire quod auro purissimo non tegeretur; ut cam fœderis in eo collocaret. Et ego te plum Dei sum, in quo non Arca, sed A Dominus collocabitur: quibus igitur tutum cælaturis & figuris? quo auroc tatis illud mihi adornandum erit? quo do illum in Templum hoc introdu qui vix mediam devotè novi exper horam; & utinam vel semel dignè med

Suspiria per diem.

I. Magister bone, quid faciendo æternam possidebo? *Luca* 18. Doce m cere justificationes tuas.

II. Lux vera, quæ illuminas om hominem venientem in hunc mund illumina me! Loquere Domine quia servus tuus.

III. Transeamus usque Bethlehem

videamus hoc Verbum quod factum est, & audiamus quid loquatur in nobis Dominus.

Orationes præparatorias recita, & Sacrum celebra, jam veluti in stabulo Bethlehemitico ad præsepe Domini, coram Beatissima Virgine S Josepho, Angelis, Pastoribus, Tribus Regibus; aliàs veluti in templo Hierosolymitano coràm S. Simeone & Anna.

ANTE SACRUM

I. *Humilitatis Affectus.*

ANima mea transeamus usque Bethlehem & videamus hoc Verbum quod factum & incarnatum est : & audiamus quid loquatur in nobis : nam stabulum est gymnasium, præsepe Cathedra, Infans Doctor Justitiæ, non tam verbo, quàm exemplo clamans, ut discas esse mitis & humilis corde.

O Magister humillime ! quemadmodum in stabulo natus infantili specie omnia magnalia tua contegendo altissimæ humilitatis perfectionem doces; ita sub speciebus Eucharisticis majestatem, potenti-

am & sapientiam infinitam occultan
profundissimæ humilitatis lectionem
inclamas.

Utinam velut discipulus capax doct
nam hanc benè apprehenderem! docet
obsecro, mundum, exemplo tuo, co
temnere, honores fugere, magnos
magna declinare; doce me velle late
humilia eligere, dona tua abscondere,
lenta mea non jactare, ut in humilit
schola sit discipulus sicut est Magi
ejus.

II. Fides.

O Divine Magister! scimus quia vera
& viam Dei in veritate doces: do
me, obsecro, vias tuas & veritates tu
sed in primis doce me credere. Fides
auditu est, inquit Apostolus, aud
autem per verbum Christi. Ecce aud
verbum tuum; audio promittentem
Joan. 6. *Panis quem ego dabo Caro m
est pro mundi vitâ: & Caro mea verè
cibus, & Sanguis meus verè est po
Credo Domine tibi loquenti, quia tu
prima veritas. Audio quoque prom
implentem: Matth. 26. *Accipite & co*

dite: Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: & credo firmiter, quia tu es suprema Veracitas: ne verò rei novitas & beneficij magnitudo fidem superet, mysterium Incarnationis tuæ, Eucharistiæ mysterium confirmat. Quemadmodum enim credo, Verbum carnem factum esse per hypostaticam unionem; sic & credo panem corpus tuum factum esse per transubstantiationem. Et veluti credo corpus tuum in utero Virginis conceptum esse Spiritu sancto obumbrante, conjunctione omnium mirabilissimâ; ita pariter credo panem conversum esse in corpus tuum, verbi tui omnipotentis virtute, conversione omnium prodigiosissima. Credo Domine infallibilibus verbis tuis, adjuva incredulitatem meam, & mihi concede hanc fidei veritatem vel sanguinis profusione contestari.

III. *Desiderium*

O Jesu desideratissime! doce me, ardenter desiderare te: doce me eâ charitate & devotione, eo fervore & desiderio anhelare ad te, quo tot Sancti Sacerdotes, aliique devoti Famuli tui ad te anhelârunt.

Et

Et quomodo non vehementi conc
scentia ferar in te Domine! Ego enim
cœcus, tu lumen: ego egenus, tu the
rus; ego famelicus, tu cibus: ego n
Discipulus, tu Magister sapientissim
ah! doce me desiderare & amare, qu
re & invenire te. Tu tantopere desid
visitare me; & ego non anhelem ad
Cur, obsecro, sacra mensa tua sem
strata, paratáque stat, nisi ut accedam
Cur ad eam toties invitas, nisi ut veni
comedam & bibam? *Omnes sitient*
inquis; venite ad aquas, properate, e
te, comedite, venite, emite absque arg
to, & absque ullâ commutatione vinum
lac. Isaia 55. Comedite bonum, &
lectabitur in crassitudine anima vestra
Liberalissime Salvator! sitio; da m
hanc aquam, ut non sitiam iterum. Esur
da mihi hunc panem, ut non appetam
plius cibum qui perit; sed qui perma
in vitam æternam. Desidero unicè hu
cibum, eminenter *bonum*, & eminen
pulchrum: *Quid enim bonum ejus est,*
quid pulchrum ejus, nisi Frumentum
Electorum, & vinum germinans Virgin

Zach

Zachar. 9. Præbe igitur mihi, hoc frumentum; ut frumentum Christi sim, & inter Electos numerari merear. Propina mihi hoc vinum, quod ignem libidinis non suscitet, sed extinguat; non Veneris sed Virginitatis amorem ingeneret. Offer mihi hoc cœleste Lac, quod animam meam nutriat, & impinguet, ac dulcedine suâ ita alliciat, ut ablactatus à lacte, & avulsus ab uberibus mundi, terrena omnia fastidiam.

VI. Spes

VEnio ad te, O Spes mea Jesu! ut fiduciam meam augeas, ut spem firmam, solidásque virtutes me doceas. Et quid non sperem à te? O infinita bonitas! ut ad cœlum nos evehas; tuè cœlo in stabulum descendis: ut ad consortium nos eleves Angelorum; tu reclinare non dedignaris in medio animalium: ut voluptatis torrente nos reficias in æternitate, præbes manna cœleste, in hac peregrinatione, quo confortati ad terram promissam lacte & melle manantem alacriùs tendamus. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* psal. 84.

Con-

Concede nobis, hoc manna divinum
nem noſtrum ſuperſubſtantialem da
hodie, corpus ſcilicet tuum cum a
& divinitate; ut, dum hiſce refici
mores generoſos & ſpiritus tuos imbi
mus, vitàmque deinceps angelica
propè divinam ducamus. O Spes me
firmamentum meum! hoc eſt quod
cè deſidero, ſpero atque enixè flagit
quemadmodùm cibus naturalis co
ſuas qualitates imprimit; ita hæc ſupe
turalis alimonia divinas virtutes tuas
impertiat: & quemadmodum cib
potus corporis generat ſpiritus vit
operum naturalium ſunt principia
cibus & potus ſpiritualis Corporis &
guinis tui producat in me ſpiritus v
non humanæ, ſed divinæ; inſpirat
ſcilicet & illuſtrationes â quibus o
cœleſtia procedant. Ut velut alter E
Cibi hujus cœleſtis virtute confort
àſcendam ad montem Dei Horeb; c
tèrque pergam de virtute in virtute
neç ad earum culmen perveniam.

VI

V. Obedientia.

O Magister & Speculum perfectissimæ obedientiæ! qui descendisti de cœlo, non ut faceres voluntatem tuam; sed ejus, qui misit te, Patris, atque etiam dilectissimæ tuæ Matris, cui subditus fuisti: quàm heroicam nos doces obedientiam; dum ad verba Sacerdotis consecrantis è cœlo te demittis, & sub panis & vini speciebus te collocas? Est sanè hæc obedientia tua I. ad nutum celeris; ita ut nec ad momentum temporis adventum tuum differas. II. Est universalis ad omnes Sacerdotes etiam malos, ad omnem locum & tempus se extendens. III. Est constans & perseverans usque ad finem mundi, absque defatigatione aut tædio, etiamsi subinde irreverenter & indignè tracteris. Obstupescite Cœli super hoc!

O Præceptor optime! desidero te, intimè suscipere in domum meam, quemadmodum Martha, ut tibi obediam, serviam & placeam. Desidero ubi te excepero, sedere ad pedes tuos, & audire verbum tuum, ut spiritualem mihi refectionem velut Mariæ sorori ejus præbeas, & ani-

animam meam in veram Bethaniam, est domum obedientiæ convertas. Ve ergo Domine; & in obedientiæ perfect disciplina me instrue: Concede ut ob diam Tibi ac Prælatis meis obedientiâ leri, mandata non differendo; sed stu alacriter exequendo: obedientiâ uni sali in omnibus, etiam arduis, nullo cepto, & absque replica: obedientiâ co stante & perseverante usque ad mort ut hac ratione in domo mea velut in g Bethania cum gaudio permaneas.

VI. Misericordia.

O Redemptor misericordissime qu usque demittis te, ut mortalium feriis succurras, ut ignorantes doc famelicos pascas, sitientes potes, in mos visites, nudosque gratiæ tuæ palu mento contegas? Neque hæc solùm p stas mundi Monarchis ac Principibus; rùm etiam infirmis mendicabulis, & q magis stupendum est, peccatoribus; m pœnitentiam agant, cum gaudio apud manendo, qui ante fuerant Dæmoniorum hospitia. O Magister bone! verè mis cors & pie! emolli cor meum adam

num, eximiámque ei erga indigos commiserationem imprime: ut sicut tu opera misericordiæ exhibes mihi misero in Venerabili Sacramento; sic ego quoq; proximo meo egenti eadem exhibeam; quo beatitudinem & misericordiam consequar: dixisti enim: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matth. 5.

VII. Charitas.

ECce venio ad te, Rabboni amantissime, & per cor tuum dulcissimum, suavissimæque Matris tuæ te deprecor, ut doceas me diligere te, ex toto corde. Extremum quidem fuit opus amoris tui, quòd naturæ nostræ tenuitatem assumere, atque ad infantiles miserias te abjicere dignatus sis: at non minùs excellens est opus amoris, quòd Corpus & Sanguinem tuum, in cibum, potúmque nobis donâris: in illo siquidem nostram suscepisti humanitatem; in hoc largiris etiam divinitatem. Quapropter doce me, diligere: doce me amorem tam eximium, amore compensare: cúmque amor similes aut inveniat, aut faciat; fac me qualem desideras, virum secundùm cor tuum, humilitate parvulum, casti-

castitate Angelum, amore tui flagrantem Seraphinum. O Ignis qui semper ardes, nunquam extingueris! accende me, ut diligam te ex tota mente, & ex tota fortitudine. Amen.

Oratio ad B. Virginem pro assistentia.

ASsiste mihi, obsecro, O piissima Virgo Mater, & veluti Magistra Sapientiæ doce me, eâ devotione ad aram accedere, quâ tu ad cunas Domini accedebas; eâque reverentiâ & charitate Filium tuum tangere, elevare, ac tractare in Sacrificio, qua tu eum tractabas in stabulo Bethlehemitico ac Nazarethana domo, ut gratias & favores tibi exhibitos degustare mereat. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Oratio ad SS. Angelos.

ASsiste mihi celebraturo Sancte mi Angele Tutelaris, cum tota multitudine militiæ cœlestis, quæ in Natali Domini canticum gloriæ in excelsis cecinit, & Pastoribus gaudium magnum evangelizavit, ut Verbum incarnatum non pannis involutum, sed panis accidentibus tectum in ara inveniam, ut cum Pastoribus magni hu-

hujus gaudii particeps efficiar. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen

Oratio ad Sanctum hodiernum.

Adesto quoque mihi, O Sancte glorioſe N. & efficaci patrocinio tuo hunc à Nato Salvatore favorem exora; ut feſtis hiſce natalitiis, eâ mentis illuſtratione, voluntatis ardore & ſpiritualium gaudiorum abundantiâ, divina myſteria peragam, quâ tu in terris degens eadem peregiſti. Per eundem Chriſtum Domin. noſtrum.

SUB SACRO.

Sacrificium perage, veluti in ſtabulo Bethlehemitico coram B. V. S. Joſepho S Angelis, Regibus, & Paſtoribus: atque obſerva, quomodo oculi & animi omnium in Chriſtum tanquam Magiſtrum intenti, ut cœleſtem ſapientiam ab eo hauriant. Imitare, & toto ſacrificij tempore defixis in Salvatorem mentis oculis & auribus, vide quid agat, & auſculta quid loquatur in te Dominus ſub Introitu, Gloriâ, Evangelio, aliiſque Miſſæ partibus, ac præſertim ſub Elevatione & Communione, ac poſtea

postea in recollectione: illa verò, qui
rat, conserva in corde tuo, & prompt
sequere: tendunt enim eò omnia, m
das velut alter Christus, cujus perso
sustines, vitâ & moribus ei simili
sit Discipulus sicut est Magister ejus.

POST SACRUM.

Affectus.

I. *Salutatio, Optatio, & Oblatio.*

AVe Rabboni amantissime! ave M
ster dulcissime! ave Domine mi
Christe, & infinitè millies salve! O D
ne Infans, amor meus & omnia! quo
te excipiam? quibus verbis te salutabo
signa benevolentiæ exhibebo? quo am
xu te stringam? O si haberem puriss
Matris tuæ pectus, quo te exciperem!
sephi æstimationem, quâ te stuperem!
gelorum cantica, quibus te glorifica
Regum munera, quæ offerrem! om
mortalium obsequia, quibus tibi servi
O si haberem Bernardi tui osculum, F
cisci fletum, Ignatii silentium, Cathar
Senensis desiderium, quibus amorem

dium & affectum meum conteſtarer! Verùm cùm nihil horum in me reperiam; ſuſcipe omnem libertatem & voluntatem meam; accipe totum corpus & animam meam in poſſeſſionem ac Domum tuam; ego enim illa, cum omni potentiarum ac ſenſuum familia ad omne obſequium & beneplacitum tuum promptus ſiſto.

II. Humiliatio & Laudatio.

SEd unde hoc mihi, ut Salvator & Redemptor meus veniat ad me? Unde hoc mihi, ut veniat Magiſter ad Diſcipulum, Dominus ad ſervum, Lux ad tenebras, Juſtitia ad iniquitatem? Benedicta ſit tam profunda humilitas! laudata ſit tam ſublimis charitas! Superexaltata ſit tam inaudita Bonitas! Benedictio & claritas, & gratiarum actio, & honor & virtus & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum. Amen. Verùm quia non eſt pecioſa laus in ore peccatoris, omnes Angelorum Hierarchias & choros ad laudes tuas depromendas invito.

III. Hymnus.

BEnedicite omnes Seraphini Domini Domino; laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite omnes Cherubini Do
Domino; laudate & superexaltate e
secula.

Benedicite omnes Throni Domi
mino; laudatē & superexaltate eu
sæcula.

Benedicite omnes Dominatione
mini Domino; laudate & superex
eum in secula.

Benedicite omnes Principatus D
ni Domino; laudate & superexalta
in secula.

Benedicite omnes Potestates D
Domino; laudate & superexalta
in secula.

Benedicite omnes Virtutes D
Domino; laudate & superexaltate
in secula.

Benedicite omnes Archangeli D
ni Domino; laudate & superexalta
in secula.

Benedicite omnes Angeli Domi
mino; laudate & superexaltate e
secula.

Benedicite omnes Angeli C
Regnorum, Civitatum & Hominum

mino ; laudate & superexaltate eum in secula. Omnis Spiritus laudet Dominum.

IV. Adoratio, & Oblatio.

O Salvator nobis nate, nobis date, non jam pannis, sed panis speciebus involute! adoro te Deum meum cum dulcissima Matre & S. Joſepho Nutritio tuo fidelissimo, & ad servitium tuum me paratissimum offero. Adoro te cum Pastoribus Bethlehemiticis, fascias & pannos tuos veneror, pedes sacratissimos exosculor, meq; in servum tuum perpetuum & discipulum dedico. Adoro te prostratus cum Tribus Regibus, ac te Deum & Hominem, Regem & Sacerdotem, Messiam & Salvatorem mundi agnosco & profiteor. Sed quid offeram & rependam danti mihi seipsum omnia? ô dilectissime Emmanuel! ex animo tibi offero, cum Angelis laudem, cum Matre Virgine amorem; cum S. Joseph obsequium, cum Pastoribus vigilantiam; cum Magis aurum, thus & myrrhã, id est, bona, corpus & animam; cum Sanctis Simeone & Anna, rerum creatarum contemptum, mortis ac tui facie ad faciem videndi desiderium. Suscipe hæc cum Sanctorum di-

ctorum meritis, in odorem suavi
Amen.

V. Dilectio.

O Dilecte mi! quàm parvus pro
me, & vilis appares, tam in pa
pio, quàm in amabili Sacramento
quantò pro me vilior, tantò mihi c
quantò pro me minor, tantò mihi m
„ es. *Amo te Deus meus; quia tu*
„ *ra omni melle dulcior, omni lacte*
„ *lior, omni luce clarior, omni auro*
„ *pide pretioso infinitè mihi carior.*
verò valde imperfecta sit mea dilect
Magister amoris amantissime, doc
„ perfectè amare te! *Accendar totus*
„ *totus diligam te & nihil amem pr*
„ *quod non amẽ propter te. Diligam*
„ *mine, quoniam tu prior dilexisti m*
„ *ligo te ex toto corde meo, ex tota*
„ *mea, ex tota mente mea, ex tota fo*
„ *dine mea & ex totis viribus mei*
„ *intimis medullis cordis mei; idq*
„ *ro continuare omnibus horis & m*
„ *vitæ meæ; quia aliis omnibus fru*
„ *misericordiæ tuæ: semper enim p*
„ *nisi tu me regeres; semper morer*

„ *me vivificares: semper esurirem, nisi tu*
„ *me pasceres: semper cæcutirem, nisi tu me*
„ *illuminares: sicut ergo nulla hora vel*
„ *punctum est in omni vita mea, quo tuo be-*
„ *neficio non utar; sic nullum debet esse mo-*
„ *mentum, quo te non habeam in memoria*
„ *mea, & te non diligam in omni fortitudi-*
„ *ne mea. O Domine! jubes te diligi, da*
„ *quod jubes, & jube quod vis.* S. August.

VI. PETITIONES.

ANima mea, ecce Dilectus tuus veni-
saliens in montibus, transiliens colles;
atque etiam in te advenire non dedignatus est; ut velut amicus amicum visitet, velut Magister Discipulum illuminet, velut Rex opulentus pauperem ditet: quanta dignatio! quanta Charitas! quanta feciſti animæ meæ, ô Jesu!

Veniſti olim è cœlo in uterũ Virginis, ut me viam arctam, vitamq; absconditam & sanctam doceres: ah! da ut apprehendam!

Veniſti ex utero in ſtabulum, ut humilitatis & paupertatis Evangelicæ amorem mihi inſtillares: ô fac ut penitus imbibam!

Veniſti è ſtabulo in Ægyptum, ut à te tolerantiam incommodorum diſcerem, à

quibus tantopere abhorreo: ah! da m
piam!

Venisti ex Ægypto in Nazareth, ut ob
entiæ & submissionis exemplũ nobis
beres. Effice, obsecro, ut promptè se
te, & quidquid jusseris, exsequar expe

Venisti è Nazareth in Templum H
solymitanum, ut cultûs divini curam
bendam ostenderes & Patrem cœle
honorares. Concede, quæso, ut imita
& quæ sunt Dei, Deo reddam integ

Venisti è Templo ad Jordanem,
Joanne Præcursore tuo, Baptismo ti
es, ut puritatis amorem & pœniten
doceres: Cor contritum, cor mun
erea in me Deus!

Venisti è Jordane in Judæam &
læam, ut animas quæreres, animar
& laborum zelum nos doceres: ut
zelus domûs tuæ me comederet!

Inde venisti ad Crucem, è Cruc
sepulchrum, è sepulchro ad Limbu
Limbo tandem in cœlum conscen
ut viam Crucis & mortificationis,
temptûs & doloris, unam rectamq
cœlum viam esse patefaceres. O si

gîs tuis alacriter insisterem, & per angusta ad augusta cœli contenderem!

Denique mi Jesu quotidie adhuc quosdam quasi saltus das, veniens è cœlo ad Venerabile Sacramentum, nunc in hac, nunc in illa Ecclesiâ, nunc ad hos, nunc ad illos fideles; atque etiam toties ad me miserum & inopem, ut me dites, prædictásque virtutes me doceas. Ah! dita me, doce me, perfice me, ut tandem cum Apostolo queam dicere: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.*

Sed ô Præceptor amantissime! quàm me pudet ignaviæ meæ! Magistrum adeò excellentem audio, & in perfectionis palæstra, tam parùm proficio: tua tam heroica morum exempla ante oculos cerno, & in luto vitiorum meorum interim infixus hæreo: tot jam annos virtutum tuarum imitationi studeo; sed, negligentiâ utique meâ, hactenus nec unam planè & plenè assequor. Excita obsecro languentem; & gratiâ tuâ efficace debilem adjuva, ut vel hodie seriò perfectionis studium auspicer, lectiones verbo & exemplo à te præscriptas strenuè aggrediar, neque desinam,

finam, donec Scientiam Sanctorum
fectè calleam; & omnium virtutum
ream adipiscar.

III.

IGNIS ET LIGN
AD VICTIMAM HOLOCAUS EUCHARISTICI.

Sive

Considerationes & affectus Pro Tempore Quadragesimali.

Consideratio Excitatoria.

EXpende: si Christus Sacerdos in æ
num, & Sanctus Sanctorum trig
trium annorum spatio, tam ad illud c
entum, quàm ad incruentum hoc sac
cium tantâ se solertiâ comparat, de
rio tanto anhelat, & jamjam illud au
caturus tot ritibus & ceremoniis præv
disponit, Cœnaculum grande stratum
trat, Agnum paschalem manducat,
teo se præcingit, aquam in pelvim mi
pedes Discipulorum abluit, cum iis

discumbit, panem & calicem in manus sacrosanctas sumit, oculos in cœlum attollit, gratias agit, benedicit, offert, consecrat, idemque Apostolos facere præcipit: Quæ præparatio, quæ industria, solertia, cura Sacerdoti tot imperfectionibus obnoxio, mysteria sacrosancta tractaturo incumbet? Negotióne tam grandi horulam denegabit, cùm plures quotidie horas levioribus negotiolis, utinam non inutilibus addicat? O si cum Sacerdotibus & Episcopis sanctitate illustribus, noctes integras orando insumerem! O si cor cum lacrymis coram Deo effunderem! ô si in ferventissimos omnium virtutum actus exardescerem! atque hac ratione, sicut ille, admirabiles ac prorsus stupendos hujus Sacramenti & Sacrificij effectus experiri mererer!

ANTE SACRUM

Christus Animarum Medicus sanans omnem languorem. *Matt.* 4.

Suspiria.

Sana me, Domine, quoniam infirmus sum. Psalm. 6.

Domine si vis potes me mund
Matth. 8.

Si tantum tetigero fimbriam vestime
ti ejus, salva ero. Matth. 9.

Ecce Domine quem amas infirmat
Joan. 11.

I. *Exercitium Fidei.*

O JEsu! Veritas & vita: fide fi
credo in hoc admirabili Sacrame
to, quod modò susciperè intimè desid
reipsa esse Divinitatem tuam, cum Pot
tia, Sapientia, & Bonitate infinitâ. C
do istic verè præsentem esse sacratissim
Humanitatem tuam, cum omni sua p
fectione, & sanctitate, animam cum p
tentiis, cum membris corpus tuum
rum & vivum, integrum & glorios
& hoc ipsum credo, quia tu summa Ve
tas, & summa Veracitas dixisti: *Hoc*
Corpus meum. Matth. 26.

Credo itaque de hoc mysterio, ô S
vator mi! humiliter & simpliciter, q
quid tu nobis revelasti, & per Eccles
tuam credendum proposuisti. Credo id
illud, quod creditum & prædicatum

à duodecim Apostolis. Credo idem quod creditum & conscriptum est à quatuor Evangelistis. Credo idem quod creditum & doctum est ultra mille & sexcentos annos à sanctis Patribus & Ecclesiæ tuæ Doctoribus. Credo idem quod creditum & sanguine confirmatum est ab innumeris tuis sanctis Martyribus. Credo denique idem quod testatum, comprobatúmque est à tua Omnipotentiâ tot miraculis prodigiis & signis.

Fallant igitur, & fallantur sensus, quod frequens est; obstrepant & blasphement Hæretici, quod detestandum est; scandalizentur cum Capharnaitis Gentiles & Judæi, quod deplorandum est: Ego tamen credo infallibilibus verbis tuis, O Jesu! quia tu dixisti, qui nec falli potes, nec fallere, utpote æterna Patris Sapientia, & prima veritas. Credo, Credo, Credo, quidquid dixit Dei Filius; nil hoc verbo Veritatis verius.

Accede igitur anima mea infirma: Ecce hîc in Venerabili Sacramento præsens est Salvator & Medicus animarum, qui in momento omnes spirituales morbos,

quantumcunque tenaces radicitùs dep
lere novit & curare, de quo olim tu
virtus exibat, & qui pertranseundo sa
bat omnes. Crede, tange, sume, &
naberis.

II. Exercitium Spei & Fiduciæ.

MAgna fuit Charitas Reginæ Angl
quæ Conjugi suo Eduardo venen
sagittâ sauciato, venenum exsuxit è v
neræ, Regi sanitatem, sibi mortem acc
sens. At quantò major tua, mi Jesu e
nos charitas effulget? ut nos viveremu
tu moreris; ut nos sanaremur, tu in
maris, ut septem capitalibus animæ nos
vulneribus medereris, innumera sal
pis vulnera & pretiosissima septem bal
sanguinis tui adornas in antidota. Eade
que in Sacramento reponis, ut ad v
medicamenta indies accederemus.

Accedo igitur cum firma spe & fiduc
nihil hæsitans: si enim totum corpus tu
& sanguinem in passione, tanto cum d
lore & ignominia dedisti in lytrum
redemptionem nostram: quid ni eade
dabis cum amore & benevolentia in n
medium nostrum & medicamentum
sa

sanctissimo Sacramento ? Tu es ille cœlestis Archiater, qui contra hydropisin gulæ & intemperantiæ, in horto Gethsemani pretiosi sanguinis tui balneum adornasti, ut nos perfectæ sanitati restitueres : Accedo ad te, & vel guttâ respergi desidero, & protinus curabor. Tu es divinus ille Samaritanus, qui contra febrim Luxuriæ (quam olim nec aqueum diluvii balneum, nec sulphureum Sodomæ restinguere valuit incendium) non vini & olei, sed sanguinis tui in flagellatione profusi antidotum præparasti, quod in calice mihi offers Eucharistico : Accedam & sumam, atque ab omni deinceps graviore paroxysmo me immunem fore confidam.

Tu es expertissimus ille Medicus, qui contra vertiginem Superbiæ & hypocrisis, arrogantiæ & ambitionis, jactantiæ & cenodoxiæ sanguinis tui in spinea coronatione effusi præscribis alexipharmacum. Accedo singulari cum fiducia, & morbi hujus vim minuendam & retundendam omninò spero. Tu es ille Medicus præstantissimus, qui contra bilem & phrænesin iracundiæ, sanguinis tui in crucis bajulati-

one ex humero promanantis mede
præbes. Accedo, & morbi hujus insu
rariores & mitiores experiar. Tu es
Medicus omnipotens, tot olim à le
emundans; qui contra avaritiæ & Sa
niæ lepram cruoris tui in vestium vic
ta detractione effusi remedium efficac
ornasti; Si vis potes me mundare, omn
que vel minimas etiam maculas abste
re. Tu es ille peritissimus animarum
strarum Curator, qui contra para
acediæ, sanguinis tui è manibus pedib
vi clavorum extorti, pharmacum con
cisti, excita me, & viva fide, certáque
illo fruar, & sanitati plenè restituar.

Tu deniq; es omnium malè habent
refugium & salus, qui contra venen
invidiæ ab antiquo serpente in orbem
vectum, aquæ & sanguinis tui èlatere
cratissimo effluentis theriacam præpar
O divine Archiater, qui olim tam pro
ptè sanabas omnes morbidos & oppre
à diabolo, nunquid hodiedum manus
abbreviata est? cum fiducia singulari
cedam hodie, calicem salutaris accipia
& sanguinis tui potionem hauriam,

fructus eos percipiendos, ob quos olim eum effudisti, & in calice sacro reposuisti. Tantùm supplico, ô spes mea & salus, ut ejus pretium mihi specialiter applices, atque ab omni infirmitate me dimittas.

III. Exercitium Desiderij.

OMnia in te reperio, Salvator mi, & ego non anhelem ad te? si vulnera mea curari desidero, Medicus es; si nimio labore æstuo, fons es; si peccatis oneror, justitia es; si tenebras fugio, Lux es; si cibum quæro, alimentum es: & quia in Sacramento totus es, ideo pro omnibus in eo remedium invenio. *S. Ambros.*

Si vulneratus Chirurgum; si infirmus Medicum tanto desiderio, & impatientiâ tantâ desiderat: quanto desiderio, & impatientiâ me ad te anhelare necesse est, qui undique vulneror, totus langueo, & infirmor; ita ut à planta pedis usque ad verticem non sit in me sanitas?

Si tam sollicitè panem quotidianum quæro, inventúmque quotidie sumo; ut humidum radicale, quod calor nativus ab-

absumit, nutrimento continuo repare
cur non longè avidiùs panem hunc sup
substantialem ambio; cùm anima mea
morem proprium in se habens, conti
vitutem ejus depascentem, summè
indigeat, ut frequenti panis hujus cœl
sumptione restauretur.

Quemadmodum desiderat cervus
fontes aquarum; ita desiderat anima
ad te Deus: deficio enim, nisi à te re
ar; vires amitto, nisi à te sustenter, de
lis sum ad resistendum, nisi à te confo
Aruit enim *cor meum, quia oblitus*
comedere panem meum. Psalm. 10

IV. Exercitium Humilitatis.

SEd quomodo ausim appropinquare
te, O cœlestis Samaritane? Ego en
sum homo ille miser & miserabilis,
descendens ab Jerusalem in Jericho, in
dit in latrones infernales, à quibus dep
liatus donis supernaturalibus, & pl
lethalibus peccatorum acceptis, semi
vus relictus est. Cujus vibices & relig
as etiamnum quandoque experior. S
quò confugiam miser, nisi ad Patrem m
sericordiæ? quò confugiam æger nisi

Medicum vitæ? Tu enim dixisti, non esse opus valentibus medico, sed malè habentibus:

Confugio igitur ad te, O Samaritane misericordissime! ut vulnera & vibices peccatorum meorum sanes: ut vinum sanguinis tui pretiosi, & oleum Misericordiæ infundas: ut gratiæ tuæ jumento me imponas, & in domum tuam me deducas, curamq; mei semper habeas. Confugio ad te, tanquam ægrotus ad Medicum, ut per Sacramentum hoc salutare, tangam te, & Virtus à te exeat; ut mihi appropinquans omnipotentiam tuam exseras, & dexteram Majestatis tuæ in me extendas, atque ab omnibus infirmitatibus meis me liberes.

O humillime Samaritane! quis unquam Medicorum adeò se abjicit, & ad quoscunque etiam viliſſimos homunciones sese demittit? ô Amor immense! amor infinite! quousque summam Majestatem in stupendo hoc Sacramento deprimis! Demisisti te olim, mi Redemptor, ad pedes proditoris Judæ: sed demittis te etiam nunc ad pedes Hæreticorum: ô horror

tor! demittis te, ô dilectionis excel
ad ora tot Superborum & avaro
tot helluonum, & ganeonum indig
susceptientium. Demittis te, ô ab
amoris! ad pedes Magorum & Saga
Veneficorum & strigum, qui gravi
quandoque te inhonorant, & mal
abutuntur.

O Amor immense! siccine obliv
ris summæ Majestatis & Celsitudinis
idque propter paucas animas tibi gr
ut eas reficere, tecumque intimo am
vinculo conjungere valeas? atque e
propter me hominem minùs grarum
peccatorem? O quas grates repend
mori tanto? quousque ego vicissim
demittam amore tui? Ad pedes serv
tuorum, ad pedes omnium mortal
Salvator humillime, per demissione
am ineffabilem & diviniſſimi hujus Sa
menti virtutem, concede mihi
hanc humilitatis gratiam. Amen.

V. QUERELA.

UNum est, ô cœlestis Medice, & o
potens Thaumaturge! quod v
menter stupeo; de quo meritò co

ti mihi videor, sed me capere non posse profiteor. Medicina corporis & sanguinis tui infinitæ virtutis, in Sacramento toties mihi applicatur; & ego tamen sanitati non restituor? fimbria vestimenti tui semel tacta Hemorrhoissam illicò sanat; & in me sacratissima caro tua & sanguis pretiosissimus idem non præstat. Ubi obsecro, defectus residet; utique non in Medico, aut medicamento; sed in ægroto. Lingua mea tremendo nimis Jesu sanguine toties rubescit; & tamen in vitiis suis inolitis mordicus persistit, gulam non frœnat, delicias non spernit, loquacitatem & lubricitatem non corrigit. Manibus meis toties sanctissima membra tua contingo, & mea tam parùm mortifico, sensualitatésque eorum tam segniter domo. Ah! non tuâ, sed meâ culpâ, & quidem maximâ hæc accidunt, ô Jesu! In primis enim frustra medicinam adhibeo, si â noxiis cavere & abstinere renuo: deinde carnem quidem tuam manduco, sed aliud esurio: sanguinem tuum haurio; sed aliud sitio; nimirum divitias, honores, voluptates, & commoditates proprias. Denique vix in-

intras sub tectum meum, & ego inut
nè mox exeo, mentem ad alia diver
tantúmq; Hospitem non, ut par est, exco
& tracto: atque hac ratione obsisto,
Virtutis i finitæ medela in me vim su
exerat. Tange me hodie Salvator am
tissime, ac sumpto vivifico Sacrame
virtus à te exeat & gratia, quâ defec
hosce seriò corrigam, & post toties su
pta efficaciæ infinitæ antidota, tande
nitatem & sanctitatem constantem ef
citer obtineam. Amen.

Oratio ad B. V. Mariam.

DOlorosissima Virgo Maria, quæ
tuo Crucifixo summo cumamore
stitisti; humillimè te deprecor, ut
sacrificanti assistere digneris, quo sac
cium hoc incruentum in commemor
onem illius cruenti ita peragam, ut co
osos utriusque fructus consequi me
Amen.

Oratio ad S. Angelum Custodem.

ADsis mihi ô sancte Angele mi Custo
cum omnibus Angelis Christo patie
famulantibus; Animæ meæ cœnacul

vitiis purgate ac virtutibus exornate; ut dignum reddatur, in quo purissimus novæ legis Agnus spiritualiter sacrificetur, & cum gustu ac fructu comedatur. Amen.

Oratio ad Sanctum hodiernum.

GLoriosissime Sancte N. obsecro te, hanc mihi à Christo patiente gratiam exora; ut Dominicæ passionis mysteria, in Missæ sacrificio adumbrata, eâ devotione ac mentis teneritudine commemorem, quâ tu in terris degens eadem commemorasti. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

SUB SACRIFICIO.

I. Imaginare tibi jam Hortum Gethsemani, jam atrium Pilati, aliàs montem Golgothæum, in quo sacrifices; te verò veluti variis morbis obnoxium intuere; talémque te sub introitu agnosce, sub Confiteor palàm profitere. Sub Kyrie à SS. Trinitate misericordiam & miseriarum tuarum medelam exposce.

II. Sub Epistola & Evangelio, exemplo aliorum morbidorum á Christo sanatorum spem curationis certam concipe; &

sub

ſub Credo *fidem excita, omnipotentiæ poſſit, ſapientiæ, quæ mille remedia ne Bonitatis, quæ opitulari ardenter velit.*

III. Sub Offertorio & Præfatione gita Cœleſtem Medicum ſe accingere; ſe nare, ingredi Hieroſolymam ad confu da alexipharmaca contra tua pathim

IV. Sub Elevatione honora & a Medicum propter neceſſitatem tuam: corporis ac ſanguinis ejus pretioſi me menta tibi applicari poſtula.

V. Sub Agnus Dei, ut tuorum totius Mundi peccatorum morbos t ferventer pete, & ſub Domine non dignus, cum Centurione indignum t noſce & profitere, in cujus Domum mundam cœleſtis Medicus deſcendat.

VI. Sub Communione te à divino dico tangi, & ipſiusmet manu me menta applicari tibi perſuade. Sub lectis poſt Communionem pro honor amore tanto gratias age, & à Sacro canticotrium puerorum lauda.

VII. In Recollectione eoſdem affe continua; Medicúmque cœleſtem quod modo circumduc per cordis tui hoſpit

partes affectas ostende, rogans ut omnibus externis & internis animæ morbis medeatur.

POST SACRUM.

In eos erumpe affectus, quos eliceret infirmus plurimis morbis gravatus, & depositus, adveniente totius mundi peritissimo, benignissimoq; Medico.

AFFECTUS
Ad Christum Animæ Medicum.

I. *Actus Fidei, & Spei.*

I. VEnisti magnus de cœlo Medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus. Benedicta sit hæc ineffabilis misericordia! Adoro te mihi nunc intimè præsentē, potentissimum Auxiliatorem, afflictis omnibus olim tam mirabiliter opitulantem. O cœlestis Thaumaturge! tu potens es in sermone; tantùm dic verbo & sanabitur anima mea. Tu potens es & in opere; si tantùm tetigero vivâ fide & fiduciâ, salvus ero. Credo, Domine, te id posse, credo quoque te id velle, tantùm adjuva me, ut ex parte mea nihil deficiat, & statim salvus & sanus ero.

II.

II. O Domine! in miseros & infir
omnes beneficentissime! ego debil
languidus à te plenam animæ sanit
me obtenturum firmiter spero: si e
morbos corporales olim tam prompt
expeditè curabas, haud dubiè m
promptiùs hodiedum animæ infirmi
magìs noxias & periculosas depelles.

III. Hemorrhoissam duodeçim
nis fluxu sanguinis laborantem, s
fimbriæ attactu extemplò sanasti: &
tiosi corporis & sanguinis tui contac
fluxu vitiorum meorum me non sana

IV. Paralyticum triginta octo a
habentem in infirmitate sua; sed hom
non habentem, qui eum motâ per A
lum aquâ in piscinam mitteret, è v
gio sanasti; & me spirituali tot annor
paralysi laborantem, & hominem pr
te non habentem, curare recusabis!
mitte me in pretiosi sanguinis tui p
nam, & animam meam infirmam sa
ti restitue.

V. Mortua resurgit Filia Archisina
gi tactu corporis tui, dùm ejus ma
tenens ais: *Puella surge*, & quem

non vivam ego, non tantùm tangens sed & manducans carnem tuam & sanguinem tuum bibens? præsertim cùm tam disertè promiseris: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem habet vitam æternam* Joan. 6.

II. Actus Fiduciæ.

I. SI tanta vis sub veteri Lege erat in figura, quanta in Legis novæ figurato erit? Esus carnis Agni & sanguis ejus domibus aspersus à morte præservabat Hebræos, cùm omnia Ægypti primogenita perirent: & tua, O Agne Dei! caro & sanguis sacratissimus me à morte tueri & vitam spiritualem conservare non poterit?

II. Si tanta virtus erat in Umbra, quanta in veritate erit? Manna cibus erat medicinalis, & à morbis comedentes præservabat: *non* enim *erat in tribubus eorum infirmus* Psalm. 104. Quid igitur non efficies, O divinum Manna, millies efficacius! quos morbos quantumvis inveteratos & radicatos non abiges?

III. Manna illud antiquum, licèt morbos curaret, à morte tamen & senectute non præservabat: *Patres* enim *nostri*

manducaverunt Manna & mortui sunt; *qui* verò *manducat hunc panem*, hoc verum manna, *vivet in æternum*. O Manna cœleste à morbis vitiorum libera me, à senectute, torpore & tædio virtutis præserva: ac denique à morte tam primi peccati, quàm secundâ æternæ damnationis potenter me defende.

IV. Omnia hæc ut obtineam suavius certiusque, ô verum & divinum Nectar & cœlestis Ambrosia! excita me, rapi me, deguſtem in spiritu suavitatem tuam quæ in hoc Sacramento tanquam in fonte plenariè latet! ut spiritu tuo hausto & gustato, omnia terrena desipiant, omnia carnalia in amaritudinem mihi convertantur. O Sanguis pretiosissime! lava me peccatorum maculis, sana me à passionibus inordinatis, sanctifica me virtutum cimeliis! O Sanguis nobilissime! illumine me fidei vivacitate, eleva me Spei certitudine, accende me divinæ Charitatis flamme! O Sanguis efficacissime! fortifica me magnanimitate patiendi, inebria me calice martyrii, absorbe me ab omni creato, in totum esse increatum Dei!

Quodsi devotionem protrahere lubeat, ac per tempus liceat, more claudorum & mendicorum defectus suos ostentantium, ut ad commiserationem spectatores moveant, quodammodo circumduc cœlestem Archiatrum, per animæ tuæ nosocomium, morbos tuos spirituales ei ostende, medelam exposce, atq; ut Elisæus mortuum Sunamitidis Filium resuscitaturus, os ori, oculos oculis, manus manibus apposuit; sic & tua membris Christi, membris tuis applicatis sanitatem & vitam spera.

ORATIO AD MEDICVM COELESTEM.

O Cœlestis Samaritane! ecce, quot plagis peccatorum saucius, quot morbis vitiorum afflictus decumbo. Domine, si vis, potes me sanare: nam ecce languent pasturæ & oculi mei curiositatis vitio, sana me & averte ne videam vanitatem. Languet lingua & os gulæ & vitiosæ loquacitatis morbo: ah! pone custodiam ori meo, ut non delinquam in lingua mea. Languet cor meum amore proprio & corpus tot peccati fomite, tolle utrumque à me. Languet anima superbiæ, iræ & concupiscentiæ febribus; illas, obsecro, rore gratiæ

tuæ exstingue. Languent manus ne frustrà laborent pro gloriâ tuâ ; langueant pedes ne constanter ambulent in viis tuis ; confirma me, Domine, in hac bona & statue pedes meos tanquam cervorum ut alacriter viam mandatorum & consilium tuorum curram, donec comprehendam, & videam facie ad faciem incomprehensum quem nunc absconditum adoro & veneror in augustissimo Sacramento. Amen.

III. *Suspiria ad sacros Christi Domini Pedes.*

O Jesu expertissime Animarum nostrarum Medice! ego debilis & infirmus ad Pedes tuos sacratissimos prostratus eosdem in spiritu exosculor, ac per illos pedum, id est affectuum meorum vitiosorum sanitatem mihi conferri, unicè confidero.

I. Hi enim sunt pedes illi speciosi, qui per pagos & oppida Judææ & Galilææ indefessè circuierunt, ut Evangelium annuntiares, infirmos quæreres, & ægroribus omnes persanares : per eos igitur, ô Jesu! & me infirmum sanum restitue.

II.

II. Hi sunt pedes illi potentes, qui undas & maria, velut aridam calcârunt: per eos, ô Jesu! obsecro, fac me generoso animo aquas tribulationum hujus vitæ percurrere; & tentationum procellas absque interitu pertransire.

III. Hi sunt pedes tui amabiles, ô Jesu! quos Magdalena devotè osculata fuit, lacrymis rigavit, capillis terfit, & unguento pretioso perunxit. Ah! ad eosdem admitte me, atque intimum mihi peccatorum meorum dolorem impertire; ut & ego illos lacrymis abluere, omniumque virtutum unguento illinire valeam.

IV. Hi sunt pedes tui benigni, mi Jesu, ad quos Chananæa & Leprosi procidentes sanitatem recepêre. Ah! miserere mei: leprâ spirituali inficior; munda me: inordinatis concupiscentiæ morbus agitor; fluctus compone & sanitatem animæ meæ infirmæ quantocyus accelera.

V. Hi sunt Pedes tui, mi Jesu, olim Cruci clavis affixi, copiosum distillantes sanguinem, in animarum nostrarum alexipharmacum. Ah! vel stillulam mihi applica, & affectus meos inordinatos, quibus

bus velut pedibus ad illicita ambulo, cr
cifige, languorem excita, teporem diffi
acediam sana, ut semitam virtutum tu
rum alacriùs decurram. Amen.

IV. Suspiria ad sacrosanctas Christi Domini Manus.

O Jesu desideratissime! à pedibus t
ad sacrosanctas manus tuas ascen
easdemque amanter in spiritu exosculo
ac per illas manuum id est operation
mearum emendationem efflagito.

I. O Manus purissimæ Domini n
toties in oratione ad Patrem cœlestem
vatæ; obsecro mihi spiritum grati
precum concedite; ut orans manus p
semper in cœlum elevem.

II. O Manus thaumaturgæ mei
vatoris! quæ olim sarcophagum con
gendo Filium Viduæ suscitastis; quinq
panibus multiplicatis, quinque millia
minum satiastis; cœci nati oculos luto
lito aperuistis; mulierem ad terram in
vatam erexistis. Ah tangite & me, m
tuus fui, resuscitate me; famelicus f
pascite me; cœcus sum, illuminate m
ad terram terrenáque depressus sum,

gite me, & ad cœlestia, æternáque me attollite.

III. O Manus liberalissimæ! quæ corpus & sanguinem Redemptoris mei Apostolis in cibum & potum animæ porrexistis: hanc mihi, quæso præstate gratiam, ut divinam hanc escam pari cum Apostolis affectu & effectu recipiam.

IV. O Manus beneficæ! quæ post tot miracula patrata, post tot beneficia afflictis præstita, cruci tandem affixæ, Sanguinis pretiosi balneum effudistis: Ah manus meas toties ad illicita extensas, mundate, opera manuum mearũ imperfectionibus plena purgate, desideria mea inordinata cruci affigite; ut vobiscum Christo confixus sim cruci, atq; in eadem vivam & moriar.

V. O Manus glorioſæ! vulneribus vestris velut rubinis & stellis radiantes, Thomam Apostolum ex contactu fide illustrantes & Charitatis igne accendentes, ac denique in ascensione ad cœlum plus quàm quingentis Fratribus benedicentes. Et me incredulum, obsecro, in fide roborate, tepidum in amore perficite, ut benedictionem cœlestem promerear.

V. *Suspiria ad sacratissimum Christi Domini Latus.*

A Manibus ad Latus tuum sacratissim transeo, Redemptor amantissi illudque in spiritu reverenter exosc ac in eo refugium quæro.

I. in hoc amabili Latere cor resid dens inexplicabili amore nostri, et velut fonte inexhausto, omnia in nost uberrimè promanant. O Cor amant Jesu! cor meum tepidum flammis dilectionis accende, & copioso gratia tuarum torrente me replere dignare.

II. Hoc sacrum Latus lanceâ m apertum est, effluxitque continuò sang & aqua. O Salvator Crucifixe! a cor meum timoris & amoris divini lan ut omne vitiorum virus effluat, & intret cum timore filiali: Sanguis roseus languidum sanet, aqua puri immundum lavet, ab omnibus inqu mentis carnis & spiritûs.

III. Hoc dulce Latus, hoc amab pectus dilecto Discipulo mollis i lecti extitit, super quo in ultima C

ſuaviter recubuit. O utinam in nulla te mundi, ſed in ſolo Jeſu Corde requieſcerem!

IV. Hoc Latus glorioſum Thomas dubitans acceſſit, manum inſeruit, ac in fide reſurrectionis Chriſti ſtabilitus & in Magiſtri ſui charitate ſuccenſus fuit. O ſacrum Latus! eſto mihi fornax amoris: permitte, ut accedam ad te, tangam te, illuminer in te, accendar à te, nec manum cupiam movere, niſi Domini mei & Dei mei permotus amore.

V. O Deſiderabile Latus! Chriſtianorum omnium in omni anguſtia & tribulatione ſecuriſſimum aſylum: Eſto mihi in domum refugii & in tutam contra omnes hoſtes viſibiles & inviſibiles immunitatis arcem; in qua locum ſanctè vivendi & ſanctè moriendi ſecurum inveniam. Amen.

V. Suſpiria ad Sacroſanctum Caput Chriſti Domini.

A Latere ad Caput tuum venerandum venio, mi Jeſu, illudque cum ſenſibus tuis externis & internis ad Salutem noſtram operandam adhibitis, in ſpiritu

reverenter exoſculor, ac ſenſuum ma
rum medelam efficacem requiro.

I. O Caput ſacratiſſimum mei Salv
toris, ſpinis perforatum, arundine pe
cuſſum cum ſummo dolore & ignomi
ah! capitis mei languores ſana; ut nu
quam peccatorum meorum ſpinis de
ceps te pungam, ſed virtutum omni
roſis te coronem.

II. O Caput propterea exaltatum! r
gloriâ & honore coronatum, & ſi
mille ſoles in cœlo radians per totam
ternitatem: ah! quando impones ca
meo coronam gloriæ; ſim ego nunc in
chariora membra tua: ſim inter illuſtri
res juſtos tuos; ut aliquando cum iis ve
ſol in regno Patris tui refulgeam.

III. O Facies Chriſti amœna! olim
nimio noſtri amore velata, cæſa, conſp
ta & adeò deformata, ut neque ſpecies n
que decor in te permaneret: nunc ve
ſpecioſa præ filiis hominum, in quam d
ſiderant Angeli proſpicere, ſpecie tui
pulchritudine tuâ in æternum non ſatia
di. O ſi & ego amore tui genas meas d
rem vellentibus, & faciem meam n
ar

averterem à conſpuentibus in me! O ſi coram te ſemper in ſanctitate & juſtitiâ ambularem; & nunquam voluntariè vel minimum tibi diſplicens admitterem! O ſi æternùm cum Angelis & Sanctis tuis facie ad faciem te contemplari valerem!

IV. O benigniſſimi Salvatoris mei Oculi, uno aſpectu Matthæum & alios ad ſequelam attrahentes! ah! me quoque benignè reſpicite, & ad perfectam imitationem pertrahite! O piiſſimi oculi, in reſuſcitatione Lazari, in curatione Surdi & Muti, in inſtitutione Venerabilis Sacramenti, aliiſque precibus toties in cœlum elevati! Docete me, oculos meos tam in oratione, quàm in Sacrificio devotè in cœlum elevare: & in omnibus operibus per rectam intentionem in cœlum reſpicere, & unicum Dei guſtum & beneplacitum ſpectare! O miſericordes oculi, in præſepio, in aſpectu Jeroſolymæ, & in cruce lacrymis perfuſi! ah! lacrymarum tam pretioſarum me participem reddite! date ſiccis oculis meis fontem lacrymarum, quibus totius vitæ meæ malè tranſactæ peccata amarè defleam, & perfectè

deleam! O oculi ſummè tremendi! in
tremo Judicio damnandos aſpectu ter
bili veluti fulmine perculſuri: nunc
nignè me reſpicite donando gratiam,
tunc blandè annuendo vocetis ad glo

V. O Aures benevolæ Domini me
ſemper, orantibus patulæ ac benignæ,
Paſſione tot convitiis, contumeliis & b
ſphemiis oppletæ: ah! precibus tam m
quàm omnium Fidelium ſemper clem
ter patete; nobiſque contumelias, &
tractiones ſine offenſa, patienter & lib
ter ſufferendi gratiam concedite, Am

VII. *Suſpiria ad reliqua SS. Chriſti Domini Membra.*

I. O Lingua melliflua & Guſtus
Redemptoris, fame & ſiti, felle
aceto, mei amore, cruciati! ah! omn
ſenſualitatum mearum culpas mihi ind
genter condonate, & temperantiæ per
ctæ virtutem mihi imprimite.

II. O ſacrum Os Domini & Doct
mei! Tu olim Evangelium annunci
tu peccatores convertiſti, tu Magdale
abſolviſti, atque in judicio ultimam c
tra Reprobos ſententiam, inſtar toni
co

contorquebis: ah! concede mihi secundùm Evangelium tuum vivere, exemplo tuo ex spiritu prædicare, animásque convertere, peccatorum meorum, etiam occultorum indulgentiam & absolutionem mihi impertire, atque in die Judicii tremendâ, prolatâ felici sententiâ, cum Benedictis in Paradisum me evoca.

III. O Humeri patientissimi, grandi Crucis pondere gravati & vulnerati! omnem meam in adversis impatientiam depellite; atque ad crucem undecunque immissam alacriter portandam me animate & fulcite. O Humeri Boni Pastoris! qui ovem perditam, id est humanum genus, tanto labore quæsitam, & denique inventam in ovile cœleste reportastis: ah! & me ovem perditam, sed revertentem & pœnitentem suscipite, cœlóque inferte, Angelicis cœtibus cum gaudio illorum associandam.

IV. O Corpus sacratissimum mei Redemptoris! pro me fatigatum, vulneribus concisum, vestibus nudatum, ac tandem cruci affixum & præ dolore mortuum. Ah! debile corpus meum ad labores & vulne-

ra, amore tui amplectenda, confo
ta: nuditatem meam, virtutum tuarc
chlamyde contege: carnem meamcu
vitiis & concupiscentiis crucifige; ut o
nibus creatis mortuo, mihi vivere Ch
stus sit, & mori lucrum.

V. O Corpus glorioſissimum Regis
terni! tertia die à mortuis resurgens, c
lorum Regiam conscendens, atq; ad de
teram Patris sedens in summa Majest
& gloria: obsecro suppliciter: hoc m
rum corpus meum, post vitam in labo
bus & ærumnis transactam, in die nov
mo ad vitam meliorem resuscita: illúd
configuratum corpori claritatis tuæ in
in cœli adyta, ut tecum regnet gloriosi
& immortale in secula. Amen.

Subjungatur: Anima Christi sanc
fica me. *& petatur Benedictio.* Be
dicat me omni benedictione spiritual
cœlestibus, Jesus Christus pro me
crucifixus.

IV.

IGNIS ET LIGNA AD VICTIMAM HOLOCAUSTI EUCHARISTICI.

Sive

Considerationes & affectus Tempore Paschali.

CHRISTUS REX GLORIÆ. Psal. 23.

Orationes præparatoriæ recitandæ, Sacrumq; celebrandum, cum imaginatione loci, jam sepulchri Domini glorioſi, jam cubiculi, in quod Salvator intravit januis clauſis; jam Caſtelli Emmaus. &c.

Suſpiria per diem uſurpanda.

I. Ecce Rex tuus venit tibi. *Matth.* 12.

II. O Princeps Regum terræ! *Apoc.* 1.

Adveniat regnum tuum!

Dominus meus & Deus meus. *Joan.* 20.

III. Mane nobiſcum Domine, quoniam advelperaſcit. *Lucæ* 24.

Conſideratio excitatoria.

Si Nero Cæſar Romanorum, Cyrus Medorum, & Alcinous Phæacum Rex aliiq; Indi, Arabes & Sabei, domos ac palatia

latia, auro, argento, electro, ebore & gemmis radiantia sibi exstruxêre: Quale palatium, qualis Regia Regum Regi & Domino Dominantium ad nos venturo ornanda erit? quo charitatis auro illustranda? quibus fidei, spei, devotionis reverentiæ gemmis condecoranda?

ANTE SACRIFICIUM

Consideratio I. pro die Dominica

ANime mi! Ecce Rex tuus venit mansuetus & humilis, totámque majestatis suæ infinitæ gloriam sub specierum Eucharisticarum velo abscondit, tu excœceris & opprimaris à gloria? occurre illi ut subditum decet, munda domum, adorna thalamum: te, tua omnia offer ad obsequium: si enim modernus Romanorum Imperator longo itinere Viennâ ad te visitandum veniret, quanta hæc foret dignatio? & quas gratiarum actione digne? quâ repletus admiratione? quâ diligentiâ ei hospitium præparares? quâ benevolentiâ, quo honore eum exciperes? quâ promptitudine & alacritate omnia tua ad nutum

offerres? Et ecce, venit ad te, sub specierum sacrarum velamine, non Viennâ, sed ex cœlesti aula, non Rex & Cæsar Romanorum, sed Rex Regum & Cæsar Cæsarum, cœli, terræque unicus & supremus Monarcha, coram quo omnes mundi Principes, guttæ instar sunt, vel arenulæ quæ est in litore maris: Et hæc tanta majestas venit ad te homuncionem; ut te misellum visitet, te pauperculum ditet, derelictum protegat, infirmum sanet, ac tristem consoletur. Quâ igitur præparatione & gaudio, quâ benevolentiâ & charitate Monarcham hunc excipies? quas gratias ages? quæ dona feres?

Affectus.

O Rex gloriæ & fons amoris perpetui! quid agam pauper & inops, nisi ut me amore & honore tanto indignum profitear, animam meam humiliem, ac deprimam; cor meum à maculis etiam minimis emundare studeam; omnia mea & meipsum ad obsequium tuum offeram ac dedicem: atque ex animo dicam: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, malè præparatum & adornatum; sed tantùm

tantùm dic verbo & sanabitur anima
bonisque ac donis tuis locupletabitur

Subjungi possunt affectus virtutum
fra positi.

Consideratio II. *pro Feria* II.

O Salvator glorioſe! tu ſtatim à
poteſtatem tuam regiam & ſu
mam exercuiſti ; quando ad inferos
ſcendens portas æreas & vectes ferr
confregiſti : Legis antiquæ Patres &
triarchas viſitans omnes ſolatio im
repleviſti;illos clarâ tui viſione beaſti,
ctos è carcere eduxiſti , ac tanquam
Triumphator eoſdem in palatium co
æternùm tecum regnaturos invexiſti.

Affectus.

O Rex gloriæ ! ex animo tibi de
victoria gratulor : congaudeo qu
& gratulor omnibus captivis tuis pe
redemptis,quos aſcendens in altum in
umpho tecum deducis,tuamque in iis
tentiam luculentè oſtendis. O Liber
omnipotens ! oſtende & in me,oblec
potentiam tuam: deſcende ad me in
fico Sacramento : omnia obſtacula

ctionis & vitiorum repagula in corde meo disrumpe: infirmum visita: mœstum solare: mentis tenebras dispelle: educ de custodia animam meam; & jucundæ contemplationis dono eam illustra; ut cognoscam te, diligam te, fidelitérque tibi serviam; ac tandem in cœleste regnum tuum, tecum æternùm regnaturus admittar.

Affectus infrà post considerationes signati subdi possunt.

Considerátio III. pro Feria III.

O Princeps Regum, terra! vitæ & mortis Domine! tu glorioſus resurgens animam tuam nobilissimam, mortuo corpori tuo rursus univisti: & quatuor gloriæ dotibus, claritate, agilitate, subtilitate, & immortalitate mirabiliter exornasti: sed hanc totam majestatis tuæ gloriam & splendorem, sub speciebus Sacramentalibus abscondis, ne obtutus noster debilis à gloria tua excœcetur.

Affectus.

O Stupendum Resurrectionis Dominicæ & Eucharistiæ mysterium! Ego, mi Deus, utrumque firmiter credo, teque

teque propterea amore & laude p
quor: & obnixè rogo, dum ad me
Eucharisticam accedo, ingredere ani
meam cum gloria tua, ac cœlestes p
etates tuas eidem clementer impert
recum quasi resuscitata in novitate
ambulet. Redde animam meam om
adversis superiorem, solidâ inconc
patientiâ. Effice eam immortalem
à culpis lethalibus præservativâ. Fa
dem claram & fulgidam bonorum
rum gloriâ. Denique animam mea
sualem, ad eam vitæ spiritualis sub
tem extenua, ut omni terrenorum a
dissipato, æterna solùm ac cœlestia
& sapiat.

Consideratio IV. Feriâ IV.

TU, Redemptor mi, post resurr
nem tuam diversis vicibus &
Discipulis tuis amantissimis appare
gnatus es, loquens cum eis per quad
ta dies de regno Dei; arcana tua eis
ens; vulnera tua tangenda offeren
eis manducans, aliosque favores ei
bens, & auxilia magna promittens,
fide, spe, & charitate eos stabilires.

Affectus.

CRedo in te, spero in te, amo te Deus meus, & demississimè obsecro, ut & mihi, in hac sacra Communione, ad quam me præparo, spiritualiter te manifestare digneris. Age mecum familiariter, & loquere de regno Dei: revela mihi abscondita à Sapientibus mundi & aperta parvulis: admitte me ad favum mellis Eucharistici; aliósque favores amicis tuis præstari solitos, mihi licèt indigno benignè exhibe. 1. Mœstum me consolare, ut consolatus es Virginem Matrem, ei ante omnes apparens. 2. Absterge mihi doloris lacrymas, eásque in gaudium converte, veluti dilectæ Discipulæ tuæ Magdalenæ. 3. Erige me dejectum, afflictúmque, ut Petrum Apostolum tuum pœnitentem. 4. Aperi mihi sensum Scripturarum, & fiat in me cor ardens, velut in Discipulis euntibus in Emmaus, ut cognoscam & diligam te in fractione panis. 5. Permitte ut tangam vulnera tua sacrosancta, & in fide illuminer, cum Thoma & Apostolis. 6. Præbe mihi partem piscis assi, & favum mellis (Humanitatem scilicet & Divinitatem

tatem tuam, cum gustu singulari in illa Discipulis ad mare Tiberiadis. 7. Descende mihi, sicut in monte Oliveti quinque Fratribus, elevatis manibus cœlestem benedictionem impertire, & comitare tecum in cœlum rape.

Consideratio V. Feriâ V.

REx cœli potentissime! tu devictis hostibus tuis, Mundo, Morte, Carne, Dæmone victor in cœlum conscendis unde veneras; captivam ducens captivitatem, simulq; corda Discipulorum, démq; in throno gloriæ consides ad dexteram Patris, nostrum agens Advocatum.

Affectus.

ADoro te, laudo te, ô Rex Regum Domine Dominantium! & peto suppliciter: descende è cœlo & è solio regni tui, ac veni in cor meum; illudque gratiæ tuæ armis efficacibus ita muni, ut Mundum & Carnem, Mortem ac Dæmonem generosè devincat; ut postmodum ascendens hinc in cœlum captivam ducas animam meam amoris compedibus; & conversatio mea sit in cœlis, ubi tu es adjutor & protector meus, cum ea firma spe &

ducia, quod suo tempore eodem sim ascensurus, & tecum in alia gloriæ sede collocandus.

Consideratio VI. Feriâ VI.

O Rex glorioſiſſime, Jeſu Chriſte! tu in throno Majeſtatis tuæ ſedens ad dexteram Patris, totum cœlum empyreum ſplendoris tui radiis velut ſol illuminas: Tu omnes Angelorum & Sanctorum choros præſentiâ tuâ honoras: Tu totam cœleſtem patriam affabilitate, & pulchritudine immensâ mirificè recreas: Tu omnes Beatorum ordines Divinitatis & Humanitatis tuæ viſione beatificâ jucundè ſatias, omnibúſque bonis ad æternam requiem & felicitatem convenientibus abundè reples.

Affectus.

O Cœli Rector amabiliſſime! gaudeo & exulto animitùs in te: gratulor tibi omnibus bonis tuis, & inexhauſtis divitiarum theſauris: humillimèque obtestor te, qui immenſi ſplendoris tui radios ſpecierum Sacramentalium candidâ nube obumbras, & visûs noſtri debilitati attemperas, atque in Hierotheca Altaris,

velut

velut in throno gratiæ resides; ut pra
tiâ quoque tuâ nos orphanos ac pau
culos honores; mentes nostras caliga
cœlestium illustrationum radiis perf
gas; nos aridos deliciis cœlestibus c
ctes; nos rudes & imperfectos sapie
justitiâ, sanctitate exornes; ac tande
cœlesti regno tuo æternâ beatitudin
corones.

Consideratio VII. Die Sabbathi

O Cœli terræque Monarcha! T
dexteram Patris collocatus in g
memor tuorum, inde Spiritum San
in Discipulos misisti; qui eos grati
donis implevit, eosdem in viros alios
mutavit; linguas igneas eis impe
ad loquendum magnalia Dei & p
candum Evangelii legem inusitato
tûs fervore, cum stupore omnium.

Affectus.

O Salvator dilectissime! adoro &
dico te, gratiásque ago pro tan
vore & munere: Veni, obsecro, ut no
ditos tuos in admirabili Sacramento
tes, & inde Spiritum Sanctum nobis
munices; qui charismatis cœlestibus

repleat
fervent
nostra a
de te fer
ad nostr
& lauda
omniu
Affe
Consider
O Je
cr
hominu
scendis, &
ut cum h
fine, velu
tisti, sanc
ut in eo p
us circun
mine nisi
In hoc
culis fic
tem tuam
jus subl
tibilitat

repleat; tepidos imperfectósque, in viros ferventes & perfectos convertat, corda nostra amoris divini igne inflammet, quo de te sentiamus & loquamur, ut par est, ad nostrum & aliorum bonum, amantes & laudantes te cum Choris Angelorum omniúmque cœli civium. Amen.

Affectus variarum Virtutum Considerationibus præcedentibus subjungendi.

I. FIDES.

O Jesu, Rex immensæ Majestatis! credo delicias tuas esse cum Filiis hominum; qui toties è cœlesti solio descendis, & cum regno tuo ad nos divertis, ut cum hominibus converseris: nam eo fine, velut alter Salomon, ferculum tibi fecisti, sanctissimum scilicet Sacramentum, ut in eo per Ecclesiæ Hierosolymam possis circumferri, ita ut omnes videns, à nemine nisi oculis fidei videaris.

In hoc admirando Sacramenti ferculo, oculis fidei penetrans video Humanitatem tuam, tanquam cedrum Libani, ob ejus sublimitatem, puritatem & incorruptibilitatem, quibus illa exornatur. Ibi

cerno septem columnas argenteas, sept
scilicet dona Spiritûs Sancti, aliásque g
tias, scientias & excellentias tuas admi
biles. Ibi adverto reclinatorium aure
unionem scilicet hypostaticam, in qua
etem gratissimam reperis. Ibi quoque
tueor ascensum purpureum, signa vu
nerum tuorum gloriosa, & memor
pœnarum, quas in vita mortali tole
Denique sub isto candido velo tectus
nes, tu ipse cœlestis noster Rex Salom
accensus & combustus amore in te
ob desiderium inflammandi filias Jer
lem, id est, animas vivâ fide te aspicie
& mundo corde te recipientes.

II. DESIDERIUM.

O Divine Salomon! hoc Sacram
ferculum est thronus, è quo nos v
Rex gubernas: est thalamus, in quo
quam sponsus, in spiritu jucundè no
creas: est mensa, in qua tanquam P
nos alis: tanquam dux nos protegis
quam pastor gubernas, tanquam M
lactas. Quis ad te non anhelet? qui
to mentis affectu non accurrat?

O Vere Salomon! devehere, obse

hoc no
dis me
am tua
Rex m
velut P
velut Pa
enim hi
Veni
janua c
pone te
ut signa
quo sim
imprima
quo hin
lectica,
Divina
me tanq
innocen
tate fort
in me a
tuarum
um recli
escas. D
mortific
Rex met
mei, ut

hoc nobili ferculo ad me, & in aulam cordis mei ingredere, ut cœlestem sapientiam tuam me doceas. Ingredere ut velut Rex me gubernes, velut sponsus reçrees, velut Pater pascas, velut Dux defendas, velut Pastor regas, velut Mater lactes: ego enim his omnibus summè indigeo.

Veni igitur, ô Princeps gloriæ! veni; janua cordis mei patet; si placet, intra, & pone te ut signaculum super cor meum, ut signaculum super brachium meum; quo similitudinem virtutum tuarum mihi imprimas; ut & ego ipse sim ferculum in quo hinc inde per mundum deferaris: sim lectica, in qua quietè jucundéq; resideas. Divina & corporalis præsentia tua, faciat me tanquam cedrum Libani, candidum innocentiâ, excelsum animi magnanimitate fortitudine incorruptibilem. Exstrue in me argenteas donorum & virtutum tuarum columnas. Effice me aureum tuum reclinatorium, in quo molliter requiescas. Dispone in me gradus continuæ mortificationis: ante omnia autem tu ipse Rex meus, intra me mane accensus amore mei, ut & ego similiter amore tui totus

succendar, igniar, ac quodammodo de
cer per insignem ad te similitudinem.

III. *Metus reverentialis.*

SI Esther Regina, & conjux ceteris p
adamata, Regis Assueri majestatem
tuita in terram corruit penè exanimis
metu, quâ reverentiâ mihi ad te acced
dum erit, quem video non quasi Angel
Dei, sed verè Angelorum Dominum!
*ce venit Dominator Dominus, & quis
terit cogitare diem adventûs ejus, & q
stabit ad videndum eum?* Malach. 3. c
non corruet præ timore gloriæ ejus, q
non exanimetur?

O Rex infinitæ Majestatis, ego
omnipotentiam, excellentiam & glor
tuam summam considerans totus pa
& contremisco: nam si Oza tangens
cam, Eucharistiæ figuram, mox percu
interiit; quomodo ego carnem tuam
vam omnis sanctitatis Arcam ausim
meo impuro tangere?

Israelitæ terrore perculsi non ausi
montem Sinai fumantem accedere, ut
gem obtinerent: & quomodo ausim
peccator ad montem gloriæ tuæ ad co
per

potentiæ tuæ Sacramentum appropinquare, & Legislatorem meum, cœli terræque Monarcham suscipere? Non auderem certè, ô Domine, nisi tua juberet Majestas, & blandâ voce invitaret Bonitas. Quia ergo dicis: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: ecce venio, ut reficias me: quia dicis: Sinite parvulos venire ad me: ecce adsum ut me facias verè parvulum humilitate & innocentiâ, tuisq; moribus similem reddas.

IV. Contemplatio Pulchritudinis Christi Domini.

EGredere itaque Anima mea, tanquam vera filia Sion, & noli timere: sed vivæ fidei oculis aspice & contemplare Regem Salomonem in diademate quo corovavit eum Divinitas, tanquam Mater sua, in die desponsationis & lætitiæ cordis ejus, quando glorioſus surrexit à mortuis. Vide ut anheles & desideres; contemplare ut ames & gaudeas.

Ecce hîc in Sacramento augustissimo est Sponsus tuus cœlestis, verus Salomon Rex pacificus & mundi pacificator, Rex gloriæ infinitæ, sub illa cortina & velo specierum latens: erga hunc affectum ex-

cita. Credo, Domine mi Rex sapien
me, & cum tota cœlesti aula adoro, la
& benedico te affectuosissimè.

Ecce hîc est Jesus Nazarenus Re
us, totus floridus, totus speciosus, t
amabilis, propter passionem mortis
& honore coronatus: accurre, prop
ut eum debito cum amore, honore &
verentiâ excipias. Honoro, amo & re
reor te Rex inclyte.

Ecce hîc est glorioſissima anima
cum potentiis, & glorioſum corpus
cum ea integritate, pulchritudine &
jestate, quâ fulget in cœlo empyreo
dotibus quatuor glorioſis, quas in de
ſurrectionis induit: occurre, venerare,
plectere. Ecce venio, saluto, venero
amplector te ô Rex gloriæ!

Hîc sunt omnia membra ejus, co
oculi, os, collum, manus, pedes, tanta
gantiâ & decore, ut omnium intuen
corda rapiant: Accedo Domine mi a
biliſſime, curro, festino ut rapiar &
amoris fœdere tecum uniar.

Hîc denique sunt signa glorioſi
quinque vulnerum, quæ tanquam

que immensi splendoris soles mirificè refulgent, & cœlestium gratiarum radios evibrant. Appropinqua, anima mea, ut illustreris, O quis mihi dabit pennas & volabo & appropinquabo Regi meo, ut ab eo illuminer, accendar, & unus cum eo spiritus efficiar. Amen.

V. *Suspiria amorosa ad unionem cum Christo quæ finis est Sacramenti amabilis.*

I. O Rex Regum, & Domine Dominantium! anhelo & festino ad te, ut amore tecum indissolubili conjungar, in te quodammodo transmuter, & intimè uniar. O virtus sanctissimi Sacramenti! me & te, res adeò distantes, non tantùm combina, sed ex duobus unum effice: nam *Virtus Eucharistiæ est unitas.* S. Augustin. serm. 9. de diversis.

II. O virtus nobilissimi Sacramenti, me vivum Christi membrum effice; imò è duobus corporibus ac mentibus, unum quodammodo fiat individuum: nam *Virtus Eucharistiæ est individuitas; quâ effecti membra Christi sumus, quem accipimus.* Tertull. lib. de orat. c. 6.

III. O Virtus præstantissimi Sacrame
desinam, per te, esse qui sum, caro; u
carnem Christi transeam. *Finis* enim
*jus Sacramenti est, ut in carnem Ch
transeamus.* S. Leo Epist. 25.

IV. O Virtus potentissimi Sacra
ti! transforma me in te: *Finis* enim
*charistiæ est, ut in Christum transfo
mur.* S. Paschasius l. de corp. & sang C

V. O Virtus divinissimi Sacram
Deifica nos, & effice: *Vt simus sicut C
stus; quoniam Christus quoque sicut
efficiamur Dii propter ipsum; quon
ipse quoque propter nos homo factu
S. Greg. Naz. orat. 1. in nat.

VI. O Virtus dulcissimi Sacram
fac, obsecro, *ut non tantùm* per sacra
naxin *Christiferi, sed & concorpo
consanguinei Christi evadamus.* S. C
Hierosol. catech. 2. *In communione
fit unio continuationis & mixtionis;
ex duabus aquis vel ceris liquefactis
una.* S. Cyrill. l. 10. in Joan.

VII. O suavissimum Sacramentum
ferar in te velut oleaster in bonam oli
ut fructus dulces & divinos profer

nam *In sacra communione est unio insitionis & insitio spiritualis.* S. Dionys. Areop. de Eccl. Hierarch. c 3.

VIII. Denique, cùm testibus iisdem SS. Patribus, in hoc amoris Sacramento, reperiatur *unio ignitionis*, ô virtus efficaçissima Divinitatis & Humanitatis Christi, age in me, occupa me, transforma me, veluti ignis ferrum! quemadmodum enim ignis ferrum primò per calorem disponit, deinde per propriam substantiam illud informat, ac denique transformat in seipsum, propriam ei virtutem & operationem communicans: Sic quoque tu, ô Ignis divine, ô Carbo Eucharistice, primò mediante contactu tuo animam meam dispone producendo gratiam; deinde propriam ei divinitatem communica; ac demum totam eam in teipsam transforma, operationum divinarum virtutem conferendo; ut sicut ferrum, naturam ferri retinens, comparet tamen ut ignis, & agit ut ignis; sic ego quoque propriam naturam retinens, & per intimum illapsum naturam divinam recipiens, non compaream, agamq; amplius ut creatura, sed tanquam

Deus aliquis gressus & mores divinos monstrem & exhibeam. *R. P. Vinc. Caraffa de devot. erga SS. Sacram.*

O quando hoc fiet, Deus meus & omnia? & quî possibile est, ut non statim quî possibile est, ignem infinitum in cipere, & non ardere? tolle teporem, frigus & fiet. O fiat igitur! fiat!

Oratio I. Pro assistentia B. M. V.

O Mater Domini & Virgo glori mihi sacrificanti hodie assistere gnare; & apud Filium tuum glorio mum pro me intercede, ut illis simil moris & devotionis, gaudii & exulta nis affectus in corde meo sentire me quos tu Filium tuum redivivum p aspiciens, & eundem in sacra Comm one primò recipiens persensisti. Per dem Christum Dominum nostrum. A

Oratio II. ad SS. Angelos.

O Sancte Angele Tutelaris, vosque Beati Spiritus, qui ad sepulchr Domini piis mulieribus in albis appa istis: adeste mihi hodie ad aram facie & Jesum Nazarenum devotè quæren docete me, ut Christum viventem in

mortuas mundi creaturas non quæram; sed eundem glorioſum nunc in ſanctiſſimo Sacramento, ac poſtea in cœleſti paradiſo cum intimo animi mei ſolatio reperiam. Per eundem Chriſtum D.N. Amen.

Oratio III. ad Sanctum hodiernum.

O Sancte N. hanc mihi à Rege Sanctorum omnium gratiam obtine ut Agnum hunc Paſchalem, amoris igne toſtum, eo fervore & guſtu comedam & offeram, quo tu olim in terris eundem ſumpſiſti & obtuliſti. Atque hoc cœleſti phaſe confortatus, ad terram promiſſionis alacriter & feſtinanter tranſeam. Per eundem Chriſtum D.N Amen.

SUB SACRIFICIO.

I. *Sub Introitu:* Agnoſce te aliquando fuiſſe rebellem, & perduellionis reum contra Regem tuum: dole & veniam humiliter pete.

II. *Sub Confiteor.* Te reum palàm profitere, & dum te inclinas, tanti Regis conſpectu indignum te judica.

III. *Sub Kyrie.* Veniam & miſericordiam poſtula.

IV. *Sub Gloria.* Regem tuum ad tu-

am, aliorumque rebellionem abolend
natum lauda & glorifica.

V. *Sub Epistola & Evangelio.* Aud
quid mandet, aut requirat Imperator tu
& quomodo te ad sui imitationem in
tet, & ad pugnam contra hostes suos a
ciat. Offer te ad sequelam: & sub ejus
baro Sacramentum dic.

VI. *Sub Credo.* Fidem tuam profit
Redemptorem, Ducem, Judicem agno

VII. *Sub Præfatione* cum pueris H
bræorum Regem tuum Hierosolym
cum pompa & plausu intrantem, com
re, applaude & hosanna accine.

VIII. *Sub Canone & Elevatione* A
ce Jesum N. R. I. crucifixum & d
Mundo, Carne, Dæmone pugnan
adora eum, lauda, subjice te illi dum e
supra caput tuum elevas.

IX. *Quoties altare oscularis*, Regi
osculum da, & collum, caput ac sang
nem pro ipsius honore offer ad marty

X. *Sub Pax Domini:* Intuere & re
rare gloriosè resurgentem & de hosti
suis triumphantem.

XI. *Sub Communione:* amplectere
minum tuum, sese tibi unientem.

XII. *Sub Benedictione* : Imaginare ascendentem gloriosè in regnum suum tibiq; & aliis præsentibus benedicentem.

XIII. *Sub Evangelio S. Joannis*, cogita redituru judicem, & exacturum rationes generositatis tuæ vel pusillanimitatis in pugna spirituali hujus vitæ decursu peracta, ut legitimè certantem coronet, vel negligentem puniat.

POST SACRIFICIUM.

Affectus & petitiones ad Christum Regem gloriæ.

Christo Regi in domum cordis tui recepto illos elice affectus, quibus famulus exciperet Regem domum ipsius intrantem: ut sunt Adoratio, humiliatio, dolor de offensis, gratiarum actio pro beneficiis, oblatio seu donatio, ac denique laudatio, qui affectus tamen omnes ab amore proficisci debent, & continuo amore condiendi, eo modo, quo famulus tenerrimè Dominum vel Regem amans, similes eliceret erga receptum in domum suam Regem.

I. *Vnio cum Deo.*

O Dominus meus & Deus meus! teneo te ô Bonum inæstimabile! habeo te ô Bonum super omne bonum ô Pulchrum super omne pulchrum possideo te! ô desideriorum meorum finis, jam assecutus sum te, tenui, nec mittam. O quàm bonum mihi est adhærere tibi! Quid mihi nunc est in cœlo, à te quid volui super terram? deficit in cor & caro mea, Deus cordis mei & mea Deus in æternum!

II. *Laudatio.*

O Jesu! tu es ipse Rex meus & Deus meus, totus amabilis, totus desiderabilis, totus liberalis: tu enim subditorum sanguinem non exsugis, more Regum terrenorum; sed proprio nos sanguine pascis: tu bona nostra non desideras; sed omnia bona tua nobis communicas: servitia tibi exhibita, non parcè exigis stipendio remuneras; sed æternæ beatitudinis præmio liberalissimè compensas. quis dignè te laudare poterit? Benedictus sit infinita hæc tua liberalitas! ametur omnibus tam profusa Bonitas.

III. Co-

III. *Oblatio sui.*

SEd quid tibi nunc offeram; ô Rex seculorum immortalis! pro tanto munere & honore, quo me modò dignatus es? quid rependam inops & pauper servulus donis tanto Rege dignis destitutus? quid habeo nisi duo æra minuta, corpus scilicet & animam, quæ dedisti mihi? Ecce illa libens præsento: castrum animæ meæ totum tibi consigno, claves offero, portas aperio, sinum cordis pando, meq; & omnia mea integrè tibi subjicio. Ingredere & dominare in medio inimicorum tuorum, id est, passionum & vitiorum meorum, eosdémque si placet expelle. Libera me à servitute & jugo tyrannorum istorũ, qui vinculis peccatorum me captivum tenent. Fugiat à facie tua dæmon omnipotentiâ tuâ perculsus, & regnum ejus, quod consistit in malitia. Fugiat mundus & regnum ejus, quod consistit in fallacia. Fugiat victa Caro & regnum ejus, quod consistit in voluptatis illecebra; nec unquam deinceps contra me prævaleant. O mundi & stygis domitor! virtute hujus divinissimi Sacramenti, impleatur in me, quod

quod dixisti : Regnum Dei intra vos est; adveniat hoc regnum tuum & semper in me vigeat. Assistite mihi descendentes ex aula regia cœlestes aulici, Throni & Dominationes, Cherubini & Seraphini, cæteriqúe Spiritus Angelici : ad Regem nostrum dignè excipiendum ac tractandum me adjuvate, tepiditatem meam excutite, atque ad amandum & laudandum eum, mentem succendite.

IV. *Admiratio.*

SI Regina Saba videns sapientiam Salomonis, tota admiratione defixa, non habebat ultra spiritum : quo stupore me repleri par est, dum admirandam potentiam, sapientiam & bonitatem tuam, in hoc Sacramento manifestatam & occultatam intueor ? O Rex sapientissime, & plus quàm Salomon; licèt omnia magnalia tua incomprehensibilia summâ admiratione me compleant ; præ omnibus tamen nimis quàm admirabilem reddit oculis mentis meæ tanta sublimitas & tanta humilitas; tanta majestas & tanta charitas erga nos mortales, quâ magnitudinem tuam infinitam in Sacramento abscondis, im-

immensitatem quodammodo coarctas, & sublimitatem deprimis, ut nobiscum amore uniaris: O verè stupenda charitas! ô humilitas profunda nimis!

V. *Humiliatio.*

QUis enim ego sum ô Rex æternitatis! aut quæ est domus Patris mei, ut immensa Majestas tua ad me veniat? quid sum nisi vile mancipium tuum, umbra, fœnum, bulla, vitrum fragile? hinc ineffabilem excellentiam tuam & vilitatem meam perpendens totus confundor. Non sum ego servus bonus & fidelis qualis erat Petrus Apostolus, ceteriqúe devoti famuli tui, sed sum servus piger & ignavus; & ille tamen te à se exire jubet, eò quòd peccator sit: an non potiori jure ego dixerim: Exi à me Domine, quia peccator sum & peccatorum antesignanus? sed cùm à me recedere nolis, imò mortem mineris, nisi te manducavero, quid faciam, nisi ut ex animo te rogem: Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit, & nox vitiorum ingruit. Mane nobiscum per gratiam specialem, per singularem assistentiam & protectionem, atq; conjunctionem amoris:

ris: ut cum Apostolo dicere valeamus, quis nos separabit à charitate;

VI. *Spes & Fiducia.*

O Rex vivorum & mortuorum! qui resurgens à mortuis, multa corpora Sanctorum resuscitasti, & in gloriæ tuæ societatem admittere voluisti; quid non sperem à te? quomodo de felici & gloriosa resurrectione mea dubitare valeo; qui pignus salutis æternæ toties accipio? quomodo non certus sim, quod depositum meum servaturus sis in illum diem; cùm corporis & sanguinis tui arrham certissimam toties extradas, promittens infallibiliter resuscitationem in novissimo die, & vitam æternam? *Joan. 6.* Credo, Domine, quod tu Redemptor meus vivas, & in novissimo die de terra surrecturus sim, & in carne mea sim visurus te Deum Salvatorem meum, quem velatum nunc aspicio. Tunc lætiabor, cùm apparuerit gloria tua. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.

Præterea, ô spes mea unica Jesu! in te confidit anima mea: & certus sum, non vacuâ manu & absque fructu ad me venies: quis enim Rex pauperem visitat, quem

quem non locupletet? tribues saltem indigenti mihi eleemosynam Rege dignam; aut saltem nonnullam tui effigiem aut mnemosynon relinques pro honorario. Et si pedibus tuis sacratissimis advoluto supplici stipem petere confidenter liceat: Da mihi immortalitatem mysticam cum perseverantia in amicitia tua, ne morte culpæ aliquando moriar. Da mihi impassibilitatem cum heroica patientia, ne tribulationum causâ deficiam. Da claritatem cum fide vivâ ut divina mysteria tua cognoscere valeam. Da agilitatem, cum obedientiæ promptitudine, ut omnia præcepta & inspirationes tuas perfectè exsequar. Da denique subtilitatem cum abrenuntiatione rerum carnalium & terrenarum, ut spirituales & divinas intimè amplectar: atque ita in dotibus hisce gloriosis tibi spiritualiter assimiler ad gloriam tuam. Amen.

VII. *Dilectio.*

O Jesu Rex amabilissime! omni Absalone pulchrior, Salomone sapientior, Davide mitior, Samsone fortior, quantù m teneor amare te? Amo te ex toto corde, quia

quia creasti me: amo te ex tota anima, quia redemisti me; amo te ex tota mente, quia sanctificasti me: amo te denique ex omnibus viribus meis, quia pretioso corpore & sanguine tuo toties refeciſti me. O amator hominum! verè amor tuus, necesse est, ut sit infinitus, qui non solùm ad tanta amore nostri facienda & patienda te adegit, verùm etiam eò permovit, ut pridie quam paterêris instituêres hoc admirabile Sacramentum amoris, ut nobiscum usque ad consummationem seculi permaneres, & intimè te nobiscum conjungeres. O Amor infinite! cur ego ardentiori dilectione in te non rapior? Per vulnera tua gloriosissima obtestor te, vulnera me charitate: & quia sine gratia tua speciali diligere te nequeo ut desidero, ad vulnera tua velut amoris domicilia confugio. O Fontes Salvatoris mei distillate in me gratiam aquæ vivæ, quæ siti visibilium extinctâ, ad amorem invisibilium me excitet. O corpus sacratissimum, tanquam sigillatim vulneribus quinque cælatum, pone te ut signaculum super corpus meum: obsigna pedes meos ut semper in via charitatis progrediar.

grediar. Obsigna manus, ut semper opera charitatis exerceam : obsigna & latus ut affectus amoris tui & proximi indesinenter proferam in tempore & æternitate. Amen.

IGNIS ET LIGNA AD VICTIMAM HOLOCAUSTI EUCHARISTICI.

Sive

Considerationes & affectus

Pro Sacrificio Missæ in Pentecoste, à Festo Ascensionis Domini ad festum SS. Trinitatis.

Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus ignis amoris.

Dominus Deus tuus ignis consumens est. Deut. 4.

Si populus & Sacerdotes veteres jubente Deo, tridui spatio tantâ curâ præparandi fuere, ut per Moysen legem obtinerent: *Sanctifica illos hodie & cras, lavent̃ vestimenta sua & sint parati in diem tertiam: omnis qui tetigerit montem morte morietur; lapidibus opprimetur, aut confodietur jaculis. Sacerdotes quoque qui acce-*

accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiat eos. Exod. 19. Quantâ diligentiâ, quantâ devotione & virtute se disponere ac sanctificare debebit Novæ Legis Sacerdos, ut non legem, sed ipsum Legislatorem infinitæ majestatis suscipiat?

Suspiria per diem.

Dominus in igne veniet *Isaiæ 66.*

Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. *Cant. 8.*

Veni S. Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

Pro compositione loci, cogita te in Cœnaculo, in medio Apostolorum & Discipulorum Spiritum S. in forma ignis suscipientium, preces fundere aut ad aram facere.

ANTE SACRIFICIUM.

Pro septem hebdomadis diebus.

I DIE DOMINICA

I. *Affectus Fidei.*

O Fili Dei altissimi, in hostia sancta, & benedictionis calice, credo te præsens esse Verbum divinum, Verbum vivum, æternum

ternum, infinitum, quod egressum est egreditur, & egredietur in æternum ex ore Patris æterni, manens etiam intra ipsum cum omni divinitate: Verbum omnipotens, per quod omnia facta sunt, & conservantur. Cùm verò tu, ô Dei Verbum! dixeris Joan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est*; ac proinde, ubicunq; est Filius, ibi quoque sit Pater; credo etiam in augustissimo Sacramento adesse Patrem æternum, qui intra seipsum Filium suum generat, quem semper generat, suamque illi divinitatem communicat, & sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, & fide vivâ recipit, non pereat, sed habeat vitam æternam. Cùm autem nulla Persona divina ab aliis separari valeat: credo quoque in hoc mysterio præsentem esse Spiritum Sanctum, qui Patrem & Filium ob naturæ unitatem comitatur; quem Pater & Filius mutuo inter se amore exardescendentes spirant, & æternùm spirabunt. Quâ igitur præparatione & puritate, quo donatu & fervore ad sanctam, adorandamq; Trinitatem suscipiendam me disponam?

II. *Pe-*

II. *Petitio Puritatis ad Patrem cœlestem.*

O Pater cœlestis, actus purissime, munda me ab omni inquinamento carnis & spiritûs, ut mundus in conspectu tuo compaream, & purior ad fontem omnis puritatis accedam. O si cum omni puritate, quæ fragilitati humanæ possibilis est, sacrosanctum Filii tui corpus & sanguinem suscipere valerem. O si cum corpore puro, cum intellectu puro, memoriâ purâ voluntate purâ, intentione purâ, affectu puro, ad oblationem mundam accederem, purè ad gloriam tuam, & ob nullum alium respectum; atque ad Angelorum & omnium creaturarum puritatem adspirarem! Sed ecce cœli non sunt mundi in conspectu tuo, quantò minùs homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem! effunde igitur super me aquam mundam Spiritûs Sancti, & mundabor & super nivem dealbabor. *O Pater noster qui es in cœlis!* ego superbiæ nævis coinquinor: *Sanctificetur nomen tuum*, quod facit humilitas. Avaritiæ maculis inficior, *Adveniat regnum tuum*, quod pauperibus Spiritu promittitur. Invidiâ impetor: *Fiat voluntas tua*

sicut

sicut in cœlo & in terra: quod promittitur misericordibus. Libidine impugnor: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* ut confortet debiles; & sensus cœlestes, terrenos reprimant. Irâ infestor: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris,* quod promittitur mitibus. Gulâ tentor: *Et ne nos inducas in tentationem*: quâ primi parentes prostrati sunt Denique Acediâ opprimor: *Sed libera nos à malo*; & à periculoso in rebus divinis tædio, quod omnium malorum est origo. Amen.

III. *Petitio Luminis, ad Filium Dei.*

O Sapientia Patris, Lumen de Lumine, & Lux mundi indeficiens! illumina me, ut cognoscam te, & charitatem, quâ dignaris venire ad me, intelligam, quo me extremâ industriâ præparem. O author & consummator fidei, Jesu! illumina me in fide; ut in omnibus tentationibus resistam fortis in fide diabolo; *qui ab incredulis timetur ut leo, à fortibus in fide ut vermis contemnitur.* S. Isidorus l. 3. de summo bono c. 5.

Illumina me in spe, Protector meus & clypeus omnibus sperantibus in te, ut abundem in spe & semper exspectem ac desiderem te summè desiderabilem: tu enim es *Spes mea à juventute mea*, Psalm. 70. Tu es *Spes omnium finium terræ*. Psalm. 64.

Illumina me in charitate, ut diligam te, Domine, & omnia sensuum blandimenta amore tui respuam, ô Deus meus & omnia! & cum famula tua Gertrude exclamem animitus: l. 2. c. 66.

„ O amœnitas omnium colorum, dul-
„ cor omnium saporum, delectatio om-
„ nium sonorum, suavis amœnitas amplexuum intimorum, supereffluens abyssus
„ divinitatis: Te omni creaturæ præligo,
„ propter te omni delectationi abrenun-
„ tio; pro te omni adversitati obvio; in tibi
„ omnibus te unicum laudatorem requi-
„ ro; Tu animæ meæ vita; tecum sit affe-
„ ctio cordis mei, vi ardoris amatorii con-
„ flata. Utinam in omni, ad quod sine re-
„ tendit anima mea, reddatur inanimata,
„ ut in te vivida tecum arctissimo amoris
„ vinculo colligata permaneat.

IV. Pa-

IV. *Petitio charitatis ad Spiritum S.*

O Divine Spiritus! amor incarnate & Ignis dilectionis æternæ! ecce ego tepidus anhelo ad te, sub Eucharistico velamine latentem, ut totus accendar à te.

Diligam te Domine, amore spirituali, quo omnia peccata odio habeam, omnes imperfectiones fugiam, & te unicum bonum meum omnibus creatis anteponam.

Diligam te Domine, amore inseparabili, quo semper in cogitatione & affectu te præsentem habeam, donec in regno tuo facie ad faciem te videam.

Diligam te Domine, amore infatigabili, quo nunquam à contemplatione perfectionum tuarum, nunquam à desiderio perfecti amoris tui, & studio bonorum operum desistam, donec in æternitate te inveniam.

Diligam te Domine amore incontaminabili, quo quidquid in mundo est concupiscentiæ abjiciam, ut me à seculo hoc immaculatum custodiam, donec ad puritatem increatam perveniam.

Diligam te Domine amore dulci & insatiabili, quo nihil me satiet, nihil delecter

nisi Bonitas æterna, quam in omnibus quæram, donec in cœlo apprehendam.

Diligam te Domine, amore libero, quo hostes meos contemnam, omnia cum summa spiritûs libertate perficiam, donec ad libertatem Filiorum Dei conscendam.

Diligam te Domine, amore insuperabili, quo nullis adversis cadam, & unum quodammodo tecum efficiar, ac cum Apostolo dicam: Quis me separabit à charitate?

O Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende!

FERIA II.

I. *Suspiria ad impetrandum Spiritum Sanctum ejusque Dona.*

O Jesu Nazarene! flos de radice Jesse, super quem, vi unionis hypostaticæ necessariò & connaturaliter requiescit Spiritus Domini cum septem donis suis in gradu excellentissimo; dispone me præveniente gratiâ tuâ, dignumq; me effice, ad quem divertas, tecumq; Spiritum Sanctum adducas, qui septem sua charismata in gradu eminente mihi communicet.

Veniat

Veniat, obsecro, in me *Spiritus Sapientiæ!* quo divina & æterna profundè contempler, & secundùm ea de omnibus rectè decernam & judicem.

Descendat in me *Spiritus Scientiæ!* quo temporalia, & modum illis benè ad salutem utendi cognoscam.

Requiescat in me *Spiritus Intellectus!* quo obscura intelligam, & in adyta Scripturarum penetrem.

Habiter in me *Spiritus Consilii!* quo omnes meas & proximorum actiones honestè dirigam.

Irruat in me *Spiritus Fortitudinis!* quo adversa quævis, etiam martyrium, propter te Deum meum libenter sustineam.

Regnet in me *Spiritus Pietatis* seu Religionis! quo te Deum meum ut summum Parentem summâ reverentiâ colam: proximis verò tanquam Fratribus omnem æquitatem & benevolentiam, unius Dei communis Parentis causâ exhibeam.

Denique configat & confirmet me *Spiritus Timoris Domini!* non servilis sed filialis, omnium virtutum fons & decus; ut Spiritu Sancto repletus Sacerdotalia

munia sanctè peragam; semper ex spiritu cogitem, ex spiritu agam, ex spiritu loquar magnalia Dei.

II. Suspiria ad Spiritum Sanctum.

VEni Sancte Spiritus, Legislator optime, Legem timoris servilis in me dele & legem charitatis divinæ omnium fidelium cordibus inscribe.

Veni, ô Spiritus veritatis! & omnem veritatem me doce; detege fallacia mundi principia, vera carnis blandimenta & diaboli nociva mendacia; ut tua amplectar sancta dogmata.

O fiat repentè de cœlo sonus! qui me, totumque mundum percellat, atque è veterno tepiditatis, ac peccati lethargo me exciter.

O Lingua ignea! descende superme, & velut carbone ignito linguam meam tange, ut à vitiis purgata vel de Deo, vel cum Deo ardenter semper loquatur.

Veni, ô Divine Auster! perfla hortum animæ meæ, & fluent virtutum aromata.

Veni, ô Spiritus vehemens! totamque domum mentis meæ reple: concupiscentiarum mearum ardorem tempera: imperfectio-

fectionum paleas exsuffla: & cymbam animæ meæ ad portum perfectionis & felicis æternitatis suaviter & efficaciter dirige.

Veni, ô ignis & flamma divini amoris! & omnium mortalium pectora succende, purificer à te, ut purificem alios; illuminer à te, ut illuminem alios; accendar à te, ut accendam alios: ideo enim de cœlo mitteris, & quid vis nisi ut accendamur?

FERIA III.

Suspiria pro impetrandis 12. *Fructibus Spiritûs Sancti.*

I.

O Salvator dilectissime! mihi mox in dulcissimo Eucharistiæ Sacramento intimè conjungende: Tu arbor es cœlestis paradisi adferens fructus duodecim per menses singulos. *Apoc.* 22. Ego verò sum oleaster inutilis ac sterilis; quare instantissimè obsecro; inserar in te velut in bonam olivam, ut fructus bonos & copiosos proferam. Tu vitis, nos palmites: tu oliva fructifera, nos steriles: tu arbor vitæ, nos mortis propagines: ah inserar in te, uniar tibi, ut auxilio & favore tuo fructus no-

vos & recentes producam tuis non absi miles: tu enim dixisti: Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem; in me manet, & ego in eo. *Joan.* 6. Manducem igitur te, ut maneas in me & simus uterque unus spiritus, quemadmodum ramus insertus est unus cum suo stipite.

II.

O Fecundissima vitæ arbor! in medio Paradisi, seu Ecclesiæ plantata, moxq; in corde meo, mediante Sacramento amabili plantanda: profer in me, & fac ut ego tecum proferam duodecim fructus Spiritûs: ac

Primò quidem in hac sacra Communione excellenter erumpat *Charitas*, quæ me cum Deo meo, cum summo Bono meo, cum Patre & Filio & Spiritu Sancto intimè conjungat.

II. Deinde enascatur in anima mea *Gaudium* in Spiritu Sancto, quod cor meum totum lætificet atq; confirmet.

III. Oriatur *Pax*, quæ exsuperet omnem sensum, pacificétque carnem & spiritum, & spiritum meum cum Divino connectat.

IV.

IV. Exsurgat *Patientia*, quæ in laboribus & tribulationibus exultet adeò, ut deinceps in nullo glorier, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.

III.

O Fertilissima vitæ cœlestis arbor; me arentem surculum gratiæ succo inebria, ut V. germinet in me *Benignitas*, quæ omnibus etiam hostibus beneficiat.

VI. Propullulet *Bonitas*, quæ omnibus me suavem & amabilem reddat.

VII. Protuberet *Longanimitas*, quæ adversa quævis diu sustineat & speret.

VIII. Crescat *Mansuetudo*, quæ iram subinde effervescentem cohibeat, meque ex animo mitem efficiat.

IV.

O Arbor paradisiaca! sterili cordis mei fundo committenda, palmitem aridum gratiæ tuæ rore irriga; ut IX. *Fides* quoque in me vireat quâ certissimè credam, de hoc præsertim fidei mysterio, quod Deus revelavit, & me obtenturum confidam quæ promisit.

X. Promicet *Modestia*, quæ omnes in me exteriores corporis motus decenter componat & moderetur.

XI. Vigeat *Continentia*, quæ passionum impetus intra legitimos limites contineat.

XII. Denique floreat *Castitas*, quæ corpus & animam meam angelicâ puritate sanctificet.

Ad extremum, O Jesu Arbor vitæ nobilissima, per gratiam hujus Sacramenti fructiferi clementer indulge, ut fructus hi omnes, quos in me producere dignaberis, sani sint, recentes, diuturni ac copiosi, quibus salus renovatio, ac reformatio spiritûs mei constanter ad finem usque vitæ conservetur & augeatur. Amen.

FERIA IV.

Orationes pro obtinendis virtutibus veluti dispositionibus ad gratias gratis datas.

I.

DOmine Jesu Christe, potens opere & sermone; tu posuisti olim in Ecclesiâ tua primùm quidem Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde Virtutes & gratias curationum, cæterasque dividens singulis pro beneplacito: numquid hodiedum manus tua abbreviata est? aut

aut non indiget Ecclesia tua, jam satis radicata, irrigatione hac? Ecce Domine, Regna integra & Provinciæ millionibus infidelium & Hæreticorum scatent. Selige, obsecro, & mitte viros Apostolicos adgentes hasce convulsas & dilaceratas ne in opprobrium tuum Infernus animabus damnatis ultrà oppleatur. O si indignus ego inter præcones istos, & gloriæ tuæ instrumenta recenseri merear! Evehe me quæso cum aliis plurimis ad tam præcellentem virtutem & humilitatem ut dignus efficiar cui animarum zelum, & gratias nonnullas gratis datas ad conversionem fidelium & infidelium, absque damno meo communices.

II.

NEverò, Salvator mi, horum donorum præcellentia, occasionem vanitatis & ruinæ præbeat, mitte Spiritum Sanctum tuum de cœlis, qui in omnibus nos dirigat; & totum hoc ædificium, ut sapiens Architectus super firmam Petram non more Diaboli super arenam mobilem fundet. Solidet inquam illud in perfecta tui imitatione & omnium vanita-

tum ac visibilium contemptu. O divine Spiritus, jamjam ad me in Sacramento cum Patre & Filio venture; pone te priùs ut signaculum super cor meum, cœlestes ei virtutes imprimens, ac postea etiam ut signaculum super brachium, ad opera heroica fortitudinem tribuens. Absconde priùs ignem divini Amoris in sinu meo per efficaciam sanctissimi Sacramenti; ut pòst inde prodeat ac vestimenta ardeant & luceant. Ne velut statua Nabuchodonosoris, luteis pedibus, tentatione irruente, corruam & comminuar.

III.

O Ignis qui semper ardes & nunquam extingueris! activâ Eucharistiæ virtute consume in me vitiorum scoriam, ut luceam clariùs & luculentiùs ardeam. Impelle me priùs ad peragendum cum eximia perfectione & fervore ordinaria; ac postmodum, si ad gloriam tuam conduxerit, eleva me ad singularia, tam quoad interiora orationis & contemplationis dona, quàm ad externa vitæ activæ opera: ut hac ratione gratiæ tuæ efficaciam, sapientiæ sublimitatē, & omnipotentiæ magnitudinem in me demonstres.

IV.

IV.

O Divine Spiritus! qui primis Christianis tam sublimem vitæ perfectionem inspirasti, eosdemque ad illam assequendam adjuvisti; præcelsas hasce Christiano & vel maximè Sacerdote digna Virtutes cordi meo insere. Communica mihi fidem adeò certam, ut Mysteria divina tam firmiter credam, ac si oculis cernerem. Largire spem adeò securam, ut promissa divina ita sperem, ac si illa jam possiderem. Tribue mihi fiduciam adeò firmam in oratione, ut quod aliàs est ex mera gratia tam constanter ac firmiter petam, atque si esset debitum ex justitia. Concede Obedientiam adeò promptam in rebus arduis ac difficillimis, atque si facillimæ essent & jucundæ. Præbe pœnitentiam adeò invictam, ut magno animo labores quoscunque tolerem, aliàs intolerabiles. Imprime cordi meo effusam misericordiam, succende animarum zelum insatigabilem & charitatem amore tui omnia sustinentem, etiam tormenta & martyrium.

FERIA V.

Petitiones pro gratiis gratis datis à Spiritu S. obtinendis.

O Divine Spiritus ! ubi prædictis Virtutibus tam excelsis me aliósque instruxeris, & contra omnem vanitatis assultum præmuniveris, sequentes favores audebo confidenter petere, nixus Christi meritis, & liberalitate tuâ immensâ fretus.

I. Veni sancte Spiritus, & cum Patre & Filio, sub speciebus Eucharisticis me visitante, largâ manu dona tua impertire. Da mihi aliisque innumeris servis tuis in primis *Sermonem Sapientiæ*, quo ornati sublimia & occulta divina mysteria alios rectè doceamus & explicemus.

II. Deinde ô sancte Spiritus ! largire quoque nobis *Sermonem Scientiæ*, quo magnalia Dei, ex ipsis creaturis tanquam manuum ejus operibus deducta hominibus aptè persuadeamus.

III. Tribue nobis quoque ô Beate Spiritus *Gratiam fidei*, quâ ordinarios fidei articulos & veritates mortalibus ritè persuadeamus.

VI. Præ-

IV. Præsta quoque (si ad gloriam tuam aliorumque salutem expediat) famulis tuis virtute excellentibus *Gratiam sanitatum*, quâ infirmos sanitati restituant: atque ita plurimos convertant & in fide confirment.

V. Concede etiam (si ad gloriam conducat) *operationem Virtutum* iisdem fidelibus servis tuis, ut ea per hos velut instrumenta, prodigia patres; quæ mundum faciant omnipotentiam tuam obstupescere, & infinitam majestatem tuam deprædicare.

VI. Infunde præterea nonnullis, si redundet in gloriam tuam *Gratiam Prophetiæ*, quâ futura in bonum alienæ salutis certissimè revelent.

VII. Mitte quàm plurimos viros Apostolicos ad varias gentes hæreticas, barbaras & infidelitatis tenebris oppressas, eosdemque dono & *Gratiâ linguarum* instrue, ut ab omnibus, de negotio Salutis agentes intelligi valeant: O si illis annumerari mererer.

VIII. Ad hæc segrega viros alios insignes, iisdemque *gratiam discretionis spiritum*

rituum elargire, ut pro salute proximi, arcana, quæ in corde ejus geruntur aperiant.

IX. Prædictis denique, O Spiritus Sancte! adjungere dignare *Donum interpretationis Sermonum*, quo res obscuras variis modis à te revelatas declarent, ad maiorem agnitionem, laudem & amorem sanctissimæ Trinitatis. Amen.

Oratio ad Christum Dominum Pro impetrando ejus Spiritu.

O Salvator mi! quemadmodum Elias in Paradisum raptus, pallium & simul cum eo ferventem spiritum suum duplicem Elisæo reliquit; ita tu in cœlum ascendens pro hæreditate, Ecclesiæ tuæ & cuivis ejus justo pretiosissimam carnis tuæ vestem in Sacramento altaris reliquisti, ut ejus sumptione, unumquemque alterum quasi Christum efficias per similitudinem. Obsecro te, ut fiat in me spiritus tuus duplex: spiritus scilicet amoris Dei & amoris proximi: spiritus exercendi opera vitæ activæ & opera vitæ contemplativæ: spiritus mortificationis & orationis: spi-

ritus

ritus faciendi & docendi : denique spiritus gratiarum & virtutum in proprium meum commodum, & gratiarum gratis datarum, in commodum aliorum : ita ut per efficacissimam sacræ hujus communionis virtutem fiat discipulus sicut est Magister ejus ; eáque faciat opera admiranda, quæ ille fecit, ad solam & majorem Magistri sui honorem & gloriam. Amen.

FERIA VI.

Petitio Charitatis ad Patrem cœlestem.

I.

O Pater æterne! Quid juvat, si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam? nunquid ero velut æs sonans aut cymbalum tinniens, cujus sonus, non vivus, sed mortuus, alios excitat ad faciendum quod sonus indicat; ipsum verò loco non movetur? Quare gratiam tuam copiosam mihi infunde; ut æmuler charismata meliora, & adhuc excellentiorem viam, quam demonstrat Apostolus, ingrediar, viam scilicet divinæ charitatis, quæ omnium virtutum & gratiarum vita & anima est. O Sacramentum amoris! confer mihi hodie te sumenti hanc

hanc gratiam: ut diligam te, Domine, vitus mea, & diligar à te, tibique soli placeam. Amen.

II.

O Christe Fili Dei vivi! qui dixisti: Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur? mitte, quæso, in hac sacra Communione ignem hunc divini amoris in frigidum cor meum, ut accendatur & ardeat. Communica mihi tum sublime charitatis supernaturalis donum, sine qua omnes aliæ gratiæ sine merito & mortuæ reputantur: *Si enim habuero prophetiam & noverim mysteria omnia & omnem scientiam, & habuero fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum,* quia in nihilo, in peccato remaneo. Absorbeat me igitur, mi Jesu, vis melliflua amoris tui, ut amore amoris tui vivam & moriar, qui amore mei dignatus es mori, sed nunc vivis & regnas in secula. Amen.

III.

O Divine Spiritus! ignis amoris ad cujus incendium Pater in Filium, & Filius in Patrem mutuâ dilectione eliquatur: in hac

hac sactæ Eucharistiæ perceptione infunde obsecro animæ meæ tepidæ genuinum Dei & proximi amorem, qui solus Filios Dei à filiis diaboli, Discipulos Christi à discipulis mundi discernit. Hoc pretioso amore obtento dives sum, eo remoto, in inopia & miseria permaneo: *si enim distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, quia in peccato hæreo, etiamsi prosit aliis, quorum necessitatibus subvenio; & licèt corpus ardeat, cor tamen alget. Quare ô Sancte Spiritus vinculum & nexus amoris inter Patrem & Filium, hoc me tecum amore conjunge, qui omnium vitiorum sit interitus, operum verò sanctorum principium; qui omnes, omnes virtutes secum colligatas adducat, & tanquam Regina omnibus imperet: hunc amorem si dederis, dives sum satis, & nihil ultrà desidero. Amen.

SAB-

SABBATHO.

Orationes pro obtinendis effectibus divinæ charitatis.

Oratio I. ad Deum Patrem.

O Infinita Charitas, Deus meus & omnia! distribue gratias reliquas pro libitu cui volueris; hanc mihi præsta ceteris majorem, ut perfectâ charitate perpetuò te diligam. O Pater æterne unâ cum Filio infinitum spirans amorem, qui est Spiritus Sanctus! inspira mihi, licèt indigno, spiritum tuæ dilectionis, per quem agam in utilitatem propriam, quod per gratias gratis datas agerem ad utilitatem alienam. Obtineam in hac sacræ synaxeos frequentatione hunc spiritum tuæ charitatis, qui proprium habet donum linguarum, non carnis sed ignis, non linguarum solùm hominum, sed & Angelorum; quo cum Deo meo loquar in psalmis & hymnis ac canticis spiritualibus, cum gratiarum actione aliisque tenerrimis affectibus; cum proximo verò loquar verbis amore sancto accensis, omniumque necessitatibus, omnibus omnia factus, me accommodem.

Oratio

Oratio II. ad Filium Dei.

AMantissime Redemptor, qui amicos & servos tuos in te credentes, & charitate perfectâ te diligentes, magna, imò majora, quàm tu ipse præstiteris, factus prodigia promisisti; Ego, Domine, relinquam hæc admiranda aliis dignioribus: unum ad sacram Eucharistiam accessurus peto humillimè donum scilicet & effectus charitatis divinæ; hoc enim donum & suum habet donum Sapientiæ & scientiæ ad mysteria divina penetranda; cui enim ea manifesta, nisi amicis tuis? qui verò sunt amici tui nisi charitate præditi? hoc donum per gratiam tuam nunquam excidet, veluti Prophetia, scientia & linguæ; sed incipiet in hac vita & æternùm permanebit in altera. Hoc donum, cor meum è carnali in spirituale commutabit, optatâ metamorphosi & miracula spiritualia non deerunt, incredibilia iis, qui non diligunt. Mundus enim magni facit divitias, charitas autem spernit: mundus ambit honores, charitas fugit: mundum quies & prosperitas delectat, charitas in labore & adversis exul-

tat,

tat; mundus sanitatem & vitam longævam amat; charitas infirmitatem amplectitur, mortem non timet, vitam & sanguinem pro dilectis profundere non recusat. Hæc & non alia signa, sacratissimi corporis & sanguinis tui perceptio in anima mea edere dignetur, ut gloriam tuam in hoc mundo propagem, & laudem coram te Deo meo & Angelis eximiam reportem. Amen.

Oratio III. ad Spiritum sanctum.

O Beatissime Spiritus! tu ardor es immensus, quo Pater & Filius mutuos in amores efferveſcunt: tu halitus es, quo se afflant: complexus es, quo se amant: unio quâ se nectunt, nodus quo se stringunt, obsecro & obtestor te instantissimè, dum in hac sacra Synaxi cum Patre & Filio descendis in me & mansionem apud me facis, accende me, affla me, complectere me, necte & astringe me tibi, ut totus charitate divinâ inflammatus, tecum unitus, ac unus spiritus effectus ut instrumentum gloriæ tuæ elever ad maximam Christianis tepidis, hæreticis perversis & infidelibus excœcatis perpetranda. Hoc

fine

sine, velut olim Apostolos, primosque Christianos, per timorem me purga, liquefac per pietatem, per fortitudinem consolida, per consilium ad cœlestia mentem eleva, per scientiam exorna, per intellectum illumina, per sapientiam dulcedine reple. Veni sancte Spiritus & tui amoris ignem in nobis accende! Veni ô Charitas! & totum me posside. Regna in me ô Charitas! gratia gratiarum, virtutum regina, operum sanctorum principium, radix meritorum, fons saliens in vitam æternam. Hoc unicè oro, hoc peto per Jesum Christum, qui *Ignem & Spiritum manducandum & bibendum nobis præstitit carne vestitis, corpus scilicet & sanguinem suum.* S. Ephrem. de Nat. Dei cap. 5.

Oratio ad B. V. Mariam.

O Virgo gratiosissima, charitate & Spiritûs sancti donis plenissima: hunc mihi à Filio tuo omnis charitatis fonte saporem impetra, ut ita me ad hoc sacrificium peragendum & Spiritum sanctum recipiendum præparem, quemadmodum tu ad Spiritum sanctum in Pentecoste, & Filium

Filium tuum in communione suscipiendum præparasti, ut similem quoque charitatis fervorem obtineam. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Oratio ad S. Angelum Custodem.

O Sancte mi Angele Custos assiste mihi sacrificanti, juxta aram cœlestis incensi, plurimis Cherubinis & Seraphinis stipatus; quò cogitatione cherubicâ illustratus divinorum mysteriorum sublimitatem cognoscam; & charitate seraphicâ succensus eadem tractem. Amen.

Oratio ad Sanctum hodiernum.

O Sancte N. signis & prodigiis in vita & post mortem editis clarissime, impetra mihi, obsecro, effectus charitatis admirandos, ut dignior efficiar ad sumendum & tractandum omnis charitatis fontem, omnis boni plenitudinem. Amen.

SUB SACRIFICIO.

Roga Christum Dominum ut juxta promissionem suam, mittat Spiritum sanctum, qui te veluti olim Apostolos in alium virum commutet: nam Spiritus sanctus teste S. Chrysostomo in acta Hom. 4.

Ad

Ad quoscunque accesserit, eos pro luteis aureos reddit. *Erant illi antè infirma mundi, ex dæmonum subjectione vanè gloriabundi, de majoratu contentiosi, iracundi volentes fulmina mitti in civitatem tristitiâ & timore perculsi, fugâ aut negatione Christi inquinati &c. Ast accepto Spiritu S. studiis planè contrariis imbuti, mundo sibiq; mortui, cœlo & Deo pleni, & ab ubertate gratiarum cœlestium quasi musto ebrii, sal terræ, mundi luminaria. Similem imitationem tui flagita. Ad initium Sacri, debilitatem & fragilitatem tuam confitere, tepiditatem agnosce & dole. Deinde ignem Spiritûs S. igneasq; ejusdem proprietates exposce, ut purificeris & purifices, illumineris & illumines, accendaris & accendas corde & linguâ igneâ nihil desiderans, nihil loquens nisi Deum.*

Aut si varietas delectet, utere praxi Patris nostri Joannis Pauli Olivæ XI. Societatis nostræ Generalis, vel si hæc prolixior sit, nonnulla gustui tuo accommodatiora inde selige.

Praxis Sacrificandi

P. N. Ioannis Pauli Olivæ Generalis XI. Societatis.

Ad solam & majorem Dei Gloriam:

1. Statim post oblatum Deiparæ pectus, advocare sanctissimum Domini Præcursorem, ut pectori nostro illabatur ad custodiam, paraturus Domino viam & domicilium.

2. Antequam descendatur in sacrarium, præmisso contritionis actu ferventissimo, petere à quinq; sanctis nostris Tutelaribus nomen Virginis; & à Bernardo quidem lacrymam unam Deiparæ, & à Petro Damiano Dominici cruoris guttulam postulare; quæ duæ gemmæ hinc & hinc infixæ pectori gratiores nos præstabunt venturo Agno.

3. Quando manus abluimus, invocentur M. Magdalena: Maria Ægyptiaca, Pelagia, Theodora, Thais, Latro pœnitens, David, Paulus, Augustinus, mixtis præsertim cruori Domini & Dominæ lacrymis, interim actus contritionis eliciatur.

4. In-

4. *Induant nos sanctæ Mulieres, quæ morienti Domino adfuerunt, extractis per Virginem sacerdotalibus indumentis, à vulneribus Salvatoris. Porrò dum vestimur, animo concipiamus, quæ ore proferimus; nempe robur contra tentationes, candoris desiderium, pudoris custodiam, laboris cupiditatem, dominici jugi non tolerantiam modò, verùm etiam ambitionẽ.*

5. *Dum progredimur ad altare, memineri mus quâ reverentiâ & Charitate ad tunas Filii Dei Mater accederet, tantam ostiam oblatura.*

6. *Invocentur Nicodemus & Joseph, dum sacrum corporale explicatur.*

7. *Toto Confessionis & Introitûs tempore persistamus ad pedes Virginis, elicitâ contritione quàm possumus vehementissimâ, ad id invocatis Davide, Magdalenâ, Paulo & Augustino, eoq; pœnitentium coetu, quem pientissimus Climacus suis in gradibus collocavit.*

8. *Dum accedimus Aram osculaturi uni Magdalenæ innitemur, ut suis osculis doceat nos osculum Charitatis. In Missæ introitu imploremus Religiosorum*

Ordinum Patriarchas Dominicum præsertim & Benedictum.

9. *Ad* Kyrie eleison *rogetur Deus ut misereatur nostri, menti nostræ imprimendo æternitatem intercessione S. Ephrem*

10. *Angelorum Chori universi advocentur, dum inchoatur,* Gloria in excelsis, *præcipuo affectu prosequendo illa verba: Gratias agimus tibi &c. Dum autem dicimus suscipe deprecationem nostram, nomen Virginis postuletur.*

11. *Orationes recitemus quàm devotissimè, ac si personam Virginis ageremus, cùm nomine Ecclesiæ supplicaret.*

12. *Ad Epistolam satis est, authorem invocare, ut doctrinam eam tum nobis insculpat, tum circumstanti nos Populo.*

13. *Dum petimus Benedictionem Evangelium recitaturi, confugiamus ad Isaiam & Cherubim ut nostra perpurgent labia, invocato etiam S. Antonio, quo eam nobis & populo docilitatem impetret, quâ ipse olim obedivit Evangelio. Patronus autem, dum Evangelium recitatur, erit is qui illud scripsit.*

14. *Ad* Credo *vita nostra offeratur ala-*

alacriter Domino pro fidei confessione, implorato auxilio Patrum SS. Nicenæ synodi.

15. *Dum Hostia offertur, offerantur pariter cum illa Sanguis Jesu, Mariæ Lacrymæ, Angelorum Thymiama, & Sanctorum pretiosissimi Cineres. Cum Augustino autem eliciatur actus consequendæ à Deo veniæ pro meritis Christi.*

16. *Dum aqua vino infunditur, gaudeamus allapsum olim Verbum in Virginis sinum, quorum nempe Christi & Matris merita pro conversione mundi universi offerantur Patri, opitulatoribus Monachis sanctis Cœnobii Lerinensis.*

17. In spiritu Humilitatis, *Daniel nobiscum orabit. Veni sanctificator, recitabitur in cœnaculo cum Discipulis & Mulieribus sanctis, quibus illapsus est Spiritus Domini.*

18. *Dum digiti abluuntur, invocabuntur iterum Sancti Pœnitentes Patroni nostri, emissâ contritione ardentissimâ.*

19. *Aderit S. Gregorius M. dicentibus:* Suscipe sancta Trinitas. *Angelos alloquemur & implorabimus, cùm versi ad populum dicimus: Orate fratres.*

20. *Præfatio erit in laudem incarnati Verbi, quod Regem nostrum animo propensissimo profitebimur, implorato S. Hieronymo.*

21. Teigitur, *nobiscum inchoabit S. Athanasius Trinitatis obsequentissimus. Monica prosequetur Memento, quæ sanctificare potuit quos Domino commendavit. Communicantes advocabit Nazianzenum sanctorum præconem eximium. Hanc igitur oblationem, Basilius offeret.*

22. *Inchoaturi*, qui pridie quàm paretur, *Apostolos omnes adesse precabimur, cum Principibus, ut gallicâ utamur phrasi, sanguinis & regni, nempe Abraham, Isaac, Jacob, Davide, Joachim, Annâ, Joseph & Gabriele, precati ut inter eos Sacerdotes adlegamur, quos sibi Christus Eucharistiam instituturus præscripsit: ejusdé Domini gratiarum actione oblatâ Patri.*

23. *Post consecrationem offeremus Patri hostiam, pro collatis donis innumeris Beatissimæ Virgini, cujus nomen instantissimè postulabimus, offerendo pro augmento gloriæ ejus Unigenito vitam nostram. Porrò hostiam, quod etiam de calice dictum velim*

velim, Magdalena & Angelus Custos deferent Virgini, ut à Virgine offeratur Trinitati; in holocaustum Divinitatis, in gratiarum actionem pro beneficiis congestis in nos & in nostros, videlicet in SS. Patronos, & in eos quos nobis aut commendatos aut commissos habemus; in satisfactionem scelerum nostrorum, & impetrationem quinq; gemmarum, nempe Nominis, Honoris, Amoris, Religiositatis atq; Æternitatis: qui affectus frequentissimi erunt in tota Missa.

24. Calix offeretur iisdem deductoribus in honorem Dominicæ Incarnationis & passionis: quo depositio, rogabimus Magdalenam, ut in eo diluat scelera nostra. Joannem Chrysostomum ut & linguas nostras & Auditorum nostrorum aures perfundat cruore sancto. Monicam ut quos commendatos cupimus immergat calici. Odilonem, ut purgantes animas Christi cruore refrigeret. Ignatium denique ut Societatem, & domum præcipuè quam incolimus ita sanguini Dominico immergat, ut non emergat. Exinde, ac si essemus Virgo ipsa Beatissima, eâdem prorsus reve-

rentiâ, fide, charitate & pœne dixerim divinitate, respiciemus, offeremus, tractabimus Filium Dei & Deum nostrum.

25. *Quando meminerimus Sacrificiorum Abelis, Abrahami & Melchisedech, confundemur quod illi tam vilibus hostiis, tam mirè Domino litaverint, cùm nostra frigescat oblatio, quâ tamen Dei Filius immolatur: propterea implorabimus eorum patrocinium.*

26. *Cùm dicemus*, Jube hoc perferri per manus S. Angeli, *Custodi Angelo victima contradetur.*

27. *Enuntiantes*, Per ipsum &c. *Implorabimus S. Ambrosium, rursum precabimur Hilarionem, Martinum, Augustinum, ut nobis morituris adesse velint. Quando pronuntiamus*, Omnis honor & gloria. *Firmissimè statuemus immolatâ Christo omni gloriâ nostrâ, nunquam nos recessuros ab humilitate propositi & cordis nostri.*

28. Pater noster *recitaturis adstabunt nobis SS. Cyprianus & Chrysologus, qui orationem Dominicam interpretati sunt; eam autem recitabimus quo affectu eam recitatam*

citatam fuisse censendum est à B. Virgine, cùm primò eam recitavit & ultimò.

29. Cùm osculamur patenam, post Libera nos. Imaginemur Beatissimam Virginem Filii cunas & fasciolas exosculantem.

30. Dividentibus Hostiam super calicem, nobiscum erunt cum S. Ignatio Sancti & Beati nostri, quibus commendabimus pacem Societatis, unionem & fervorem: dimittendo particulam in calicem gratulabimur Beatissimæ Virgini Verbum infusum; exercebimus autem nos in iis actibus & affectibus, quos ipsam exercuisse non dubium est, dum Verbum concepit.

31. Ad Agnus Dei, intercessore S. Joanne Baptistâ Christum precabimur, ut misereatur nostri tollendo à nobis, quod invisum magis est Virgini in nobis.

32. S. Magdalena, dum recitamus orationes ante communionem aderit nobis, imò nobiscum recitabit; quarum primam ut exaudiatur deferemus S. Gabrieli, secundam Annæ & Joachim & Josepho, tertiam Beatissimæ Virgini. Panem cœlestem accipiemus implorando Centurionem & Chrysostomum, qui aureas optabat in Sa-

cerdotibus dexteras. Dum Hostiam tenemus, Virginem imaginabimur Filium suum complectentem. S. Magdalena nobis cum veniam à Deo petet.

Ad primum Domine non sum dignus, *patratorum in seculo scelerum: ad secundum admissorum in religione criminum: ad tertium admissarum post sacerdotium negligentiarum atq; defectuum. Tum incurvati eliciemus actus, quos suprà dixi, holocausti, contritionis &c. Petemus autem nomen Virginis ex quo arcana Scripturarum in nos redundent, quibus impinguetur & cor & lingua nostra. Petemus & pedes ex quibus fluant religiositas & æternitas. Hostiam porriget nobis diebus solemnioribus Beatissima Virgo, infrialibus S. Joannes Evangelista. Erecti statim petemus nomen Virginis ignei amoris plenissimum erga Patrem, Verbum & Spiritum sanctum; cui offeremus vitam & omnia nostra, eliciendo actus supradictos holocausti &c. Tum dicemus cum S. Francisco corde tantùm: Deus meus & omnia.*

33. *Antequam calicem sumamus per manus boni Latronis, corde ad Deum cla-*

mabimus

mabimus: Domine si vis potes me mundare; tria ab illo petemus. I. Ut emundet delicta nostra. II. Ut semper sciamus & audeamus inchoare vitam novam. III. Ut doceat nos extremas vitæ nostræ horas pretiosas reddere. Rogabimus etiam S. Michaëlem, ut nos ita diluat, quomodo in exitu nostro dilutos vellet. Rogabimus etiam S. Moysen, ut Pharaonem cum exercitu suo, tentationes videlicet omnes in mari rubro divini cruoris demergat, non ne tentemur, sed ne lædamur.

34. Hausto divinissimo sanguine eliciemus actus holocausti &c. offeremus merita Christi, Virginis, Angelorum atq; Sanctorum, pro iis, quæ summi Pontifices commendari volunt: ut è purgatorio ea anima liberetur, quam liberari gratius est B. Virgini.

35. Dum calicem porrigimus, invocabimus sanctos nostros Tutelares pro spirituali sermone, nempe Honoratum, Benedictum, Scholasticam, Aloysium & N N. ut linguas nostras respergant sacratissimo sanguine & lacte Virginis, iis addendo duos illos Cherubim, quos Isaias clamantes audivit,

divit, Sanctus, Sanctus, Sanctus, *invocato eodem Prophetâ & Cherubim qui labia ejus exussit.*

36. *Ad ultimam ablutionem rogabimus SS. Machabæos cum Matre & Patrem nostrum, ut legem Dei & leges nostras scribant in pectore nostro, & tutentur.*

37. *Sumptâ ablutione tradatur pectus nostrum custodiendum illi Cherub, qui ad custodiam paradisi præpositus est, cui addamus Collegas duos ex Patribus veteris Testamenti, eos quotidie variando. Tum Virgo Beatissima pro nobis gratias aget Trinitati sanctissimæ pro tanto munere. Ipsi Virgini gratias aget Elisabeth cognata ejus cum omnibus sanctis Patronis nostris perfundente & perungente Magdalenâ divinum Christi Domini corpus.*

38. *Postcommunio tota erit pro liberatione illius animæ, quam jam Domino commendavimus. Ad* Placeat tibi: *offerent Deo sacrificium nostrum S. Lucianus Martyr & S. Philippus Nerius, quorum alter catenatus sacrificavit in carcere, alter sacrificaturus rapiebatur in cœlum. Dum benedicimus populo, accipiemus benedictionem à Virgine.* Dum

39. *Dum legimus* In principio *precabimur Christum Dominum & Virginem, ut nos admittant inter illos beatos amplexus, quibus alter alteri junctus est in primo instanti Dominicæ Incarnationis. Gratias agemus pro beneficio, recolendo desideria Patriarcharum & Prophetarum, S. Joannis Baptistæ & Joannis Evangelistæ.*

40. *Redeundo in sacrarium invocabimus cum tribus Pueris Susannam & Danielem, eâ mente ut malimus perire, quàm peccare. Quoties autem genuflectimus in sacro, optabimus ut totus mundus convertatur ad Dominum, & SS. Trinitatem adoret, oblatâ ad id vitâ nostrâ. Quoties dicimus* Dominus vobiscum *divinam præsentiam adstantium mentibus comprecabimur.*

Ingratiarum actione offeremus merita Christi &c. petemus nomen &c. eliciemus actus doloris &c. commendabimus nos Deo &c. Deindè tum pro munere, tum pro expiatione actionum nostrarum omnium offeremus Agno primarias actiones Matris ejus; nempè adhærentiam in Conceptione, oblationem in præsentatione, blanditias

charitatis in Annuntiatione, devotionem atq; pietatem in Nativitate, indifferentiam in fuga, conformitatem in Calvario, sitim in præstolatione Paracleti, zelum in detestatione peccantium: oculorum modestiam, oris sanctitatem, gratitudinem cordis, Virginitatem, Humilitatem, Uniformitatem, orationem, mortificationem, amorem & mortem. Quæ dum recolimus, detestabimur quidquid in his deliquimus. Exclamabimus denique cum Simeone: Nunc dimittis. &c. respuendo omnino omnia, contenti Deo nostro.

POST SACRIFICIUM.

Oratio I. ad Deum Patrem.

O Pater æterne! quò potuit ulteriùs charitas tua pervenire, quàm ut ipsummet Filium tuum dilectissimum & unigenitum nobis donares? quid à te sperare non poterimus, qui pretiosum adeò donum mundo largiris, non semel, sed millies, ut omnes ad sacram mensam accedentes ejus queant esse participes? Qui summum Bonum nobis donas, quomodo alia minora negabis, quæ à Te petimus, ut

iisdem tibi, tanquam Filii benignissimo Patri serviamus? Si enim Filii hujus seculi, cùm sint mali, norunt tamen bona data dare filiis suis, quantò magìs, Pater noster cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus eum?

Oratio II. ad Christum Dominum.

O Verbum omnipotens! Verbum caro factum, quot olim verbo ex ore tuo procedente morbos curabas, mortuos suscitabas, peccatores convertebas, transmutabas corda, eáque donis tuis replebas: mare tranquillabas, ventis imperabas, dæmonia expellebas, hostes in terram prosternebas, omnia denique verbo tuo subjecta tenebas. Quid non sperem à te, quando cum omnipotentia & bonitate tua in Sacramento absconditum, & velut incognitò ad me venis, ut familiariùs mecum agas, eaq; in anima mea præstes, quæ dum in terra versareris efficiebas?

Obsecro te, per viscera misericordiæ tuæ, verbo interno & gratiæ tuæ efficacitate me spiritualiter infirmum sana, mortuum suscita, peccatorem converte, commuta voluntatem, animum tranquilla, ten-

tentationes reprime, dæmones repelle; ut omnibus hostibus meis detriumphatis, in pace deinceps vivam, atque in sanctitate & justitia serviam tibi omnibus diebus. Tantùm dic verbo, & statim omnipotentiam tuam in his omnibus experiar. Amen.

Oratio III. ad Spiritum sanctum.

O Sancte Spiritus, infinita Bonitas & Amor immense, fons sanctitatis; sanctifica obsecro, domum istam, quam ingredi & visitare modò dignatus es. Effundo coram Te animam meam imperfectam, ut tuâ eam sanctitate perficias: patet tibi malitia cordis mei, Bonitas tua eam corrigat: tu nosti tenebras animæ meæ, dic ut in ea fiat lux & statim illustrabitur. Tu vides teporem meum; ignis ille tuus divinus me exstimulet: jube in me quod volueris, & statim quod jusseris, perficietur. Qui cum Patre & Filio vivis & regnas in secula. A.

Oratio IV. ad Patrem.

O Pater Æterne! Pater luminum, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendit: datum optimum per excellentiam est Filius tuus; & donum perfectum per excellen-

tiam

tiam est Spiritus Sanctus, qui in sanctissimo Sacramento unà tecum me visitare dignati sunt. Quas gratias tibi referam, Pater supreme, pro infinita charitate hac, quæ ad dona infinita mihi danda te permovit? Dedisti mihi Filium tuum, qui ab intellectu tuo procedit, tanquam Verbum tuum. Dedisti mihi Spiritum Sanctum qui à voluntate tua sicut amor tuus procedit: quid tibi, Domine, rependam pro donis adeò pretiosis? accipe, quæso, intellectum & voluntatem meam cum omnibus actionibus ab eis procedentibus, ut omnes ad gloriam tuam cedant in æternum. Amen.

Oratio V. ad Filium.

O Redemptor amantissime! qui dixisti: ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur? imple nunc obsecro desiderium tuum in hac animæ meæ terra, ad quam descendisti, excita in medio ejus ignem hunc, ut consumat quidquid in ea terrenum est, meque elevet ad id quod cœleste est. O Ignis consumens! consume in me quidquid tibi displicet, & capacem effice lucis, ardoris, agilitatis & activi-

activitatis, cœlestis ignis, ut perfectè in eum transformatus ignis munus exercendi proximos à peccatis purificem, lumine verò doctrinæ eos collustrem, & flammis charitatis succendam, eorumque desideria in cœlum levem, & cum Deo per unionem veri amoris conjungam. Amen.

Oratio VI. ad Spiritum Sanctum.

O Spiritus vitæ! conservans in Electis vitam gratiæ, quâ respirant & concupiscentiæ ardorem mortificant, custodi in me, obsecro, spiritualem vitam gratiæ, & vitiorum flammas tempera: insuffla quoque super interfectos, id est peccatores per universum mundum, eosdemque ad vitam revoca, ut meçum laudent te in secula.

O Cœlestis Favonie! purgans & separans bonum à malo, perfectum ab imperfecto, pretiosum à vili, granum à palea. Veni, aspira, purga, separa, à malo remove, ad bonum impelle, & velut ventus amœnus, sanctitate spirituali me reple. O Carbo divine! velut sol novo lumine, velut ignis cœlesti calore, velut Magister doctrinâ sacrâ, velut Medicus sanitate perfectâ

fectâ me bea: & quemadmodum Apostolos & Discipulos Domini repente in viros alios commutasti; ita me in momento ex timido audacem, ex imbecilli fortem, ex ignaro sapientem, ex invido charitate ferventem, ex ambitioso humilem, ex imperfecto, omni perfectione præstantem efficere dignare; ut hac ratione mutatus, nihil velim, nihil cupiam extra te, sed te plenus & internâ præsentiâ túâ satiatus te fruar in vita, metâ & patriâ. Amen.

I. Testimonium Patris æterni.

TRes sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt, ait Discipulus quem diligebat Jesus. 1. *Ioan. 5.* O Pater æterne! Tu devotè communicanti testimonium internum dare assoles præsentiæ Filii tui in Sacramento, & excellentiæ panis vivi, dum omnipotentiâ tuâ facultates animæ corroboras in Divino obsequio, renovásque hîc testimonium olim in Baptismo & Transfiguratione à te datum: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui, ipsum audite.* Da testimonium animæ meæ de præsentia Filii tui

dilecti

dilecti in sacra Eucharistia, ut hoc admirabile Trinitatis inventum, hoc saluberrimum Deitatis consilium, hoc ineffabile Amoris mysterium, hoc Omnipotentiæ prodigium, Sapientiæ arcanum, Bonitatis abyssum, vivacissimè credam, firmissimè sperem, ardentissimè concupiscam & omni honore & cultu possibili diligentissimè prosequar. Corrobora animæ meæ facultates in tuo servitio, & gratiâ tuâ mihi assiste, ut Filium tuum assiduè audiam, eum cum amore suscipiam, velut Magistrum auscultem, velut Ducem sequar, nec desistam, donec assequar. Amen.

II. Testimonium Filij Dei.

TU quoque, Fili Dei, testimonium dare soles præsentiæ tuæ, sacram Synaxin adeunti, dum Sapientiâ tuâ infinitâ eum illustras, agenda edoces, renovásque hîc testimonium, à te olim in terris degente de temetipso datum: *Ego sum via, veritas & vita. Ego sum via* per quam ad perfectionem & ad cœlum ambulandum est, ne aberretur. *Ego sum veritas*, cui credendum est, ut solatium & quies inveniatur. *Ego sum vita* æterna, quæ sperandæ pro-

procuranda est, ut beatitudo obtineatur. O Jesu! esto mihi in hac Communione sacra, *Via, veritas & vita*: esto mihi via, per quam ambulem: esto mihi veritas in qua requiescam: esto mihi vita & beatitudo in qua æternùm gaudeam. Amen.

III. Testimonium Spiritûs sancti.

ET tu Divine Spiritus, in animam ingressus, Bonitate tuâ testimonium das præsentiæ tuæ: nunc enim tanquam columba innocentiâ & puritate, quam effingis, ac gemitibus, sensisque teneris excitas testimonium præbes: nunc tanquam ignis ferventibus amoris ac zeli affectibus accensus & te Dei Filium intimè in anima præsentem esse attestaris. O Sancte Spiritus ostende nunc obsecro in me signa tuæ præsentiæ: velut columba innocentiâ & puritate mentem exorna: gemitus, teneros que sensus in me excita; ac velut ignis ardore charitatis & animarum zelo me totum inflamma. Trium enim testimonium unum est, tendens ad unionem charitatis inter Deum & Hominem, ut per intimam familiaritatem unus fiant spiritus. O fiat! fiat!

IV. Testi-

IV. Testimonium Spiritûs, Sanguinis & Aquæ.

TRes quoque sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, deinde Sanguis & Aqua, quæ ex Domini mei Latere profluxerunt; in cujus signum aqua vino miscetur in calice. O Spiritus mei Salvatoris testimonium præbe præsentiæ Domini mei, dum tui similitudinem nempe Spiritum Christi mihi communicanti communicas. O Sanguis & aqua Redemptoris mei, lavacrum mihi perfectum conficite, magnam animæ puritatem & cordis fervorem concedendo; ut tanquam Leo ignem spirans ab hac mensa divina recedam factus diabolo terribilis, Sacrosanctæ verò Trinitati amabilis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Hymnus.

Veni Sancte Spiritus & emitte cœlitus, &c.

IGNIS

IGNIS ET LIGNA AD VICTIMAM HOLOCAUSTI EUCHARISTICI.

Sive

Considerationes & affectus Pro Sacrificio Missæ à Festo SS. Trinitatis usque ad Adventum.

Consideratio Excitatoria.

Currunt multi ad diversa loca, longáque itinera ac permolesta suscipiunt, ut Sanctorum sacra Lipsana & ossa intueantur, venerentur & exosculentur: & ecce tu præsens es hîc in Altari Deus meus, æternus, infinitus, immensus, Sanctus Sanctorum, Creator omnium & Dominus Angelorum: & quàm tepidè, quàm exiguâ fide, devotione & fervore præsertim lucri temporalis spe non affulgente, à nonnullis Sacerdotibus ad te curritur; cum tamen incredibili desiderio, inexplicabili fame & ardore sublimissima hæc mysteria frequentanda forent, in quibus non ossa alicujus Sancti, sed Sancti Sanctorum ossa, Corpus & Anima, cum sua Divi-

Divinitate tremenda, suscipiuntur, & manducantur.

Suspiria per diem.

Terribilis est locus iste, hîc domus Dei est, & porta cœli. Gen. 28.

Quantâ igitur puritate ac devotione adeundus Sacerdoti?

O Deus immense, æterne, infinite! *si cœli cœlorum te capere non possunt quanti magis domus hæc? sed respice ad orationem servi tui, & ad preces ejus Domine Deus meus.* 3. Reg. 8. 27.

Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Dan. 7. 10. Hos inter stabis ad aram, sed quo tremore & timore, amore & fervore!

Imaginatio Loci.

Sacrum celebrabis cogitans te versari in ipsa cœlesti aula, coram infinita Dei Majestate, circumstantibus innumeris Angelorum & Sanctorum exercitibus Deum laudantibus, ac tantum ejus amorem & demissionem stupentibus. Aliàs sacrificabis velut in monte Sinai cum Moyse, aut cum Abraham in monte Moria, aut in Horeb cum Elia.

CHRISTUS

CHRISTUS EUCHARISTICUS DEUS ABSCONDITUS.

ANTE SACRVM.

Considerationes & affectus pro VII. Hebdomadis diebus.

I. DIE DOMINICA.

De Infinitate Dei.

1. MAgnus Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis ejus non est finis. *psal* 144. Magnus Dominus, coram quo tanquam momentum stateræ est orbis terrarum; cujus comparatione, mare, gutta, astra puncta, cœli atomi, creata omnia tanquam nihil. O Deus infinite! verè magnitudinis tuæ non est finis; quidquid enim in te reperimus, infinitum esse non ambigimus: substantiæ enim infinitæ, attributa congruunt, quæ sunt infinita; quemadmodum igni infinito calor infinitus competeret. Ac proinde veluti substantia & natura tua est infinita, sic potentia ab ea indistincta infinita est: sic sapientia est infinita, bonitas est infinita, Justitia, misericordia, pulchritudo, amabi-

litas, sanctitas est undequaque infinita. O quanto repleor stupore, dum istha meditor! Adoro te cum tremore, & exulto cum timore, mi Deus, & cum amore gaudeo, te adeo magnum esse & incomprehensibilem cogitatu, ut vel ipsi Cherubini & Seraphini nequeant te comprehendere. O si vires meas omnes saltem impenderem in te diligendo, siquidem ad comprehendendum non sufficio!

II. Sed magis attonitus sto, dum magnum hunc Dominum, in exigua latentem hostia per fidem intueor, & in parvo orbiculo, in mica minima, totam infinitatem abscondi cerno. Quis mortalium aut Angelorum hæc capiat? *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram* Job. 36. & verè *lucem habitans inaccessibilem*. 1. Tim. 6. Credo, Domine, quia tu dixisti. Sed simul obstupesco, & hunc amoris & humilitatis excessum infinitũ non capio.

III. Quantâ igitur, ô magne Deus! submissione & reverentiâ, mihi vilitatis abysso ad abyssum Majestatis accedendum erit? certè infinitæ Majestati honor & reverentia deberetur infinita: at cum hæc facul-

facultatem meam excedat, an non summâ quâ possum, ad te adeundum erit? quanto desiderio me ferri oportet in te super omnia desiderabilem, in quo infinitè est, quidquid possum concupiscere, ut mihi sit benè? quantâ charitate te complecti par est, propter infinitam Bonitatem & excellentiam tuam, omni laude, gloriâ, veneratione, cultu & obsequio infinitè dignam? quanto zelo me æstuare decet, & procurare pro viribus, ut mortales omnes te cognoscant, ament & laudent quàm perfectissimè in tempore & æternitate? Revereor te, ô magne Deus! quantũ possum: desidero te, quantum possum: amo te quantum possum: zelo honorem tuum, quantum possum: si verò id non ut par est facio, da ut faciam: ego enim id ex toto corde desidero.

I. Oratio ad B. M. V. pro assistentia.

OBsecro te, ô gloriosa Domina, à Filio tuo dilecto, hunc mihi favorem obtine; ut sicut fecit tibi magna qui potens est, ita idem suâ Potentiâ me confortet, suâ Sapientiâ me illuminet, suâ me perfundat Bonitate; ut eundem Filium tuum de-

bitâ charitate in Sacramento ſuſcipiam, omniq; poſſibili devotione laudem. Qui vivit & regnat in ſecula. Amen.

II. *Oratio ad SS. Angelos.*

O Sancte mi Angele Tutelaris, ceteriq; Angeli ſancti, qui ſtatis in domo Domini & in atriis Domûs Dei noſtri, in conſpectu Throni & Agni, ſummo cum ſtupore, amore & reverentiâ: Aſſiſtite mihi hodie meque excitate ut ſimili ſtupore & amore, reverentiâ & devotione adoram conſiſtam, & diviniſſima hæc myſteria peragam.

III. *Oratio ad Sanctum hodiernum.*

O Sancte N. aſpectu beatifico jam fruens, Deique Majeſtatem, Potentiam, Sapientiam & Bonitatem facie ad faciem contemplans, tuâ quæſo interceſſione, ita hodie cœleſtia hæc Sacramenta ſuſcipiam atque tractem; quemadmodum tu, ſi in terras redires, eadem ſuſciperes vel tractares. Per Chriſtum D. N. Amen.

II. *Conſideratio & Affectus de Immenſitate Dei.*

FERIA II.

I. O Deus immenſe! tu es ubique & abſque

absque termino in omnem dimensionem quodammodo diffusus: tu es excelsior cœlo, profundior inferno, longior terrâ, latior mari: tu omnem complecteris locum, omnem excedis numerum, omnem transilis infinitatem: tu omnem dimensionem, omnem æternitatem, omnem multitudinem, omnem perfectionem imaginabilem longissimè superas, & in infinitum excurris. Verè igitur, magnus es Domine & laudabilis nimis; & magnitudinis tuæ non est finis! da mihi intellectum, & scrutabor mirabilia tua & magnalia tua.

II. Tu verò, Anima mea, aperi oculos fidei, & videbis in hoc admirabili Sacramento totam Numinis immensitatem, quam debes revereri: cernes hîc immensam Bonitatem, quam debes diligere: reperies infinitam Majestatem, quam debes adorare; supremam Sapientiam, cum qua potes conversari; divinam Omnipotentiã, cui potes confidere; immensam lætitiam in qua potes exultare. Credo Domine hæc omnia firmissimè, & adoro te, amo, ac revereor te Deus O.M. & undequaque immense.

III. O Magnitûdo omnem mensuram excedens, cœlum terramque implens! quanto cum tremore & reverentiâ ad te adrepere par est exilem terræ vermiculum; quantâ animi demissione & devotione, quanto fervore & desiderio ad summam Majestatem excipendam præparare se debet vilis homuncio; pro cujus præparatione tota non sufficeret æternitas; quomodo ausim, Deus meus, distracte preces fundere, oscitanter celebrare, peccatumve aliud committere, te per Immensitatem mihi intimè præsente, cogitationes meas intuente, cor & renes perscrutante, & expeditam habente omnipotentiam, quâ mox vindictam de peccatis meis sumere valeas?

Accedo itaque ad te, Domine, cum timore & tremore, ex consideratione Magnitudinis tuæ infinitæ: sed & cum amore & gaudio ex consideratione bonitatis immensæ: ac libens pareo, licet indignus, quia tu jubes & vis me ad mysteria tua accedere. Suppleat ergo tua Majestas, quo caret mea vilitas: & quod mea non habet parvitas, tua compenset Immensitas. Amé

III. Con-

III. *Consideratio & Affectus de Immutabilitate Dei.*

FERIA III.

O Deus immutabilis! Tu *initio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut operatorium mutabis eos & mutabuntur; tu autem idem ipse es & anni tui non deficient.* Psalm. 101. Omnia verò creata cœlum & terra, mare & omnia quæ in eis sunt, mutationibus obnoxia sunt: homo præsertim, qui nunquam in eodem statu permanet, sed omni anno, mense, die, horâ, momento mutatur & mutat, consilia, decreta, desideria, amores, & mores. O instabilitas mortalium! ô mutabilitas & vanitas rerum omnium! Sed tu Domine Deus meus, semper idem ipse es, ab æterno in æternum, immutabilis in natura; invariabilis in attributis: omnis cogitatio, omne consilium, omnis voluntas, amor, odium, complacentia, displicentia, gaudium, felicitas, quæ modò in te sunt, ab æterno quoque fuerunt, ac in æternum erunt, absque ullâ

variatione, acceſſione vel imminutione. Quàm verè igitur per Prophetam dicis: *Ego Dominus, & non mutor.* Malach. 3.

II. Reſpice, Anima mea, auguſtiſſimum Sacramentum, & invenies in eo hunc Dominum Deum tuum immutabilem. Hic quemadmodum mundum & cœlos creat, genus humanum delet, peccatores punit, & non mutatur: naturam humanam aſſumit, diriſſima patitur, in cruce moritur, & non mutatur: ita quoque è cœlo deſcendit, ſub ſpeciebus panis & vini exiſtit, ab hæreticis contemnitur, à Judæis & Gentilibus blaſphematur, à fidelibus juſtis & injuſtis ſumitur, non conſumitur, non mutatur; ſed in ſimpliciſſima identitate, & primævo ſtatu, ſuper omnia ſemper perſeverat. Credo Domine & obſtupeſco.

III. O Numen immutabile ſub ſacro ſpecierum involucro latens! quàm gaudeo de hac ſtabilitate tua, cui nihil addi, nihil demi poteſt: tu enim es unicum refugium & aſylum meum, ad quod inſtabilis ego & omni momento variabilis homo pro firmitate & perſeverantia in bono

bono recurrere valeo. Accedo igitur ad te in hostia sacrosancta absconditum, petóque suppliciter, ut instabilitatem meam stabilias, & mutabilitatem meam, quodammodo immutabilem reddas. O quoties ab Exhomologesi, aut Synaxi sacra, aut animi renovatione, meliora propono; & paulò post in vanitates & intemperantias pristinas relabor. Confirma me Domine in hac hora, in omni bono; ut nunquam deinceps instar stulti varier, aut velut luna muter; sed sicut sol in conspectu tuo absque ecclipsi constanter refulgeam, ut in gratia tua usque ad finem perseverans in perpetuas æternitates te deprædicem. Amen.

IV. *Consideratio & Affectus de Æternitate Dei.*

FERIA IV.

I. *Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fœnum arui: tu autem Domine, in æternum permanes.* Psal. 107. Es enim ipse æternitas tua, quæ est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio: quis ad te non anhelet? Tu fons es omnium bonorum inexhaustus, æternùm

fluens, & dulcedine tuâ paradisum cœlestem æternùm irrigans; quis te non desideret? Æternitas tua, est dies unus, ortum & occasum ignorans: est unum perpetuum hodie: est æternum nunc, nesciens præteritum & futurum. Ah! quis è tenebris mortalitatis hujus ad te non aspiret! Tu Labyrinthus es omnium perfectionum, omnium gratiarum, omnium bonorum, donorum & thesaurorum; in quo humanum ingenium exitum nullum reperit. O si nosipsos in hoc Labyrintho liceret amittere, & exitum non reperire!

II. Anime mi, jam perges ad offerendam hostiam, in qua tota hæc continetur æternitas: conficies & suscipies Sacramentum, in quo residet æterna Sapientia, æterna justitia, misericordia, bonitas, felicitas, quam in cœlo aliquando possidebimus cum æterna satietate, quiete & gaudio: quâ igitur fame & siti, quâ sanctâ impatientiâ ad Bonum hoc æternum anhelare & festinare par esset? Et nonne ad æternitatem hanc dignè suscipiendam æterna meritò requireretur præparatio ac summa perfectio? & semihorula

tula præparationis longa mihi aut nimia videretur? Assistite mihi sancti Angeli! opem ferte sancti mei Patroni, ut quod non expleo in tempore, fervore & ardore suppleam.

III. O Beata Æternitas! quanta felicitas est te in Sacramento suscipere & bonorum tuorum æternorum participatione gaudere? In hac cœlesti communione, me amore cœlestium & æternorum succensum, fac, obsecro, hujus vitæ miserias non tantopere diligere; hoc exilium non tam ægrè deserere, sed te vitam interminatam, vitam beatam ferventiùs desiderare & amare: fac me clarè cognoscere, assiduè deplorare, studiosè devitare stultitiam generis humani, quæ momentanea oblectamenta, bona, regna, imperia tanti æstimat, eáque æternis, ac nunquam perituris deliciis, bonis, regnis, & imperiis cæcè anteponit. O Deus æterne! ego tibi de tua æternitate animitus gratulor: omnia bona tua interna intimè tibi faveo, externa pro viribus procurare desidero; ut ab omnibus ameris & lauderis in perpetuum. Denique à quo æternita-

tem ſubſtantialem in refectione ſpirituali accipio; ab eo quoq; vitam æternam ſpero, juxta promiſſa: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Joan. 6.

V. *Conſideratio & affectus de Omnipotentia Dei.*

FERIA V.

I. OMnipotens ſempiterne Deus, quemadmodum natura tua Divina eſt infinita; ita quoque potentia tua undequaq; infinita eſt: quâ potes, præter jam creata alia & alia producere ſine fine: alios cœlos, alios mundos, Angelos, homines perfectiores, & perfectiores in infinitum: *Subeſt enim tibi, cum volueris poſſe.* Sap. 12. Tu potes omnipotentiæ tuæ virtute creata omnia annihilare, reproducere, transmutare, elementa confundere, ſolem ſiſtere, mari & ventis imperare, panem in corpus, vinum in ſanguinem convertere, morbos curare, mortuos ſuſcitare, atque hæc omnia potes per teipſum, ſine difficultate, ſine exemplari extraneo, ſine materiâ, aut temporis morâ. O Deus! quàm mirabilis eſt potentia tua! demiſsè eam revereor & profundè adoro. Extende,

quæſo

quæso; in me potentem dexteram tuam, ac perfectiorem & perfectiorem indies me effice, ut tibi evadam gratior, & ad tremenda mysteria tua peragenda dignior. Transmuta me in virum alium, annihila veterem hominem, & reproduc novum, impera ventis passionum mearum, ut in anima mea, præsertim divinis intenta, fiat tranquillitas magna.

II. Huic omnipotentiæ tuæ, mi Deus, veluti fundamento, præcipua fidei nostræ dogmata innituntur: ut de creatione, conservatione, & gubernatione Mundi. In hac fundantur mysteria Incarnationis, Resurrectionis, visionis beatificæ, ac præcipuè Venerabilis & admirabilis Eucharistiæ, quæ stupendum est miraculorum compendium. Et licet ea intellectûs nostri tenuitas non assequatur; suppositâ tamen omnipotentiâ, sapientiâ, & verbi tui veracitate, haud gravatè assentitur. Credo itaque Domine, omnia Religionis nostræ mysteria à te nobis revelata, & per Ecclesiam tuam proposita: quia tu dignissimus es cui loquenti fides adhibeatur, & credatur quidquid de stupendis

operibus ac prodigiis tuis nobis revelas.

III. Et quis non credat tibi, ô potentissime & veracissime Deus! licet alta & intellectûs nostri exiguitatem superantia reveles; si vel ea, quæ indies in cœlo, & in terra operaris, admiranda expendat? quis non speret in te, si ad innumerabilia in omni vita, accepta beneficia reflectat? quis non fidat tibi omnipotenti, promittenti, & volenti? cúmque de tua promissione & voluntate constiterit, cui de omnipotentia ambigere licebit? Venio itaque ad te Deum omnipotentem in Sacramento Altaris absconditum, cum leproso dicens: Matth. 8. *Domine si vis potes:* immundus sum, si vis, potes me mundare: infirmus sum, si vis, potes me sanare: tepidus sum, si vis, potes me accendere. Gaudeo quod omniporens sis ac possis: & gaudeo quod omnipotentia tua constituta sit in manibus benevolæ tuæ voluntatis: quidquid ab hac processerit, bonum erit atque utile mihi, tibi verò glorioſum. Amen.

VI. Consideratio & Affectus de Sapientia Dei.

FERIA VI.

I. DOmine Deus meus, tu omnia nosti: tu Sapientiâ tuâ infinitâ cognoscis & comprehendis teipsum, Personas divinas, & perfectiones tuas infinitas: quorum cognitio infinitam intellectûs tui capacitatem satiat, infinito te gaudio replet, teque beatum reddit. Hic quoq; Sapientiâ tuâ cognoscis omnes Angelos & Homines, illorum numerum, cogitationes, affectus, desideria, gaudia, locutiones, propensiones, potentias, scientias, artes, gratiam & gloriam. Eâdem Sapientiâ cognoscis omnia viventia, & non viventia, omnia animantia & vegetabilia, quadrupedes, volucres, pisces, plantas, flores, herbas, eorúmque numerum, virtutes, operationes & proprietates, quæ mortalium nemo assequitur. Atque hæc omnia nosti per teipsum, sine specie, vel imagine, sine magistro aut consiliario, sine libro, idæâ vel exemplari, quibus non indiges; divina enim essentia tua est loco horum omnium. Verè, Domine, Sapientiæ tuæ non est numerus. II.

II. Summa verò hæc & incomprehensibilis Sapientia tua, mi Deus, cum omnibus scientiarum thesauris ad me rudem & ignarum venire dignatur, panis & vini speciebus velata; ut animæ meæ tenebras dissipes, ignorantiámque meam cognitionis tuæ radiis illustres. Ego enim (libens cum Salomone fateor) *stultissimus sum virorum, non didici sapientiam & non novi scientiam sanctorum.* Proverb. 30. Et cum Socrate, hoc unum scio me nihil scire. Hinc Sapientiam tuam tantopere desidero, illam æstimo, illam præpono regnis & sedibus, & divitias nihil esse duco in comparatione illius. Veni Domine, & doce me cognoscere & facere voluntatem tuam: doce me, nosse & scire tc. *nosse enim te, consummata justitia est, & scire justitiam & virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Sap. 15. 3.

III. *Da mihi*, Domine, *sedium tuarum assistricem sapientiam, mitte illam de cœlis Sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te*, Domine Deus. Da ut nunquam ad hoc legam verbum

bum, ut doctiór & sapientior videar hominibus, sed ut gloriam tuam, & salutem meam, aliorumq; promoveam. Doce me terrena despicere, præsentia fastidire, æterna quærere, æterna sapere, honores fugere, scandala sufferre, omnem spem in te ponere, nihil extra te cupere, & super omnia ardenter te amare. *Thom. Kemp.*

VII. Consideratio & Affectus de Bonitate Dei.

SABBATHO.

1. EGo *ostendam tibi omne bonum*, ajebas olim Moysi, Deus optime, maxime, omne scilicet bonum naturale, morale, & communicativum. In primis respicio in te *omne bonum naturale*: nihil enim tibi deest ad perfectionem naturalem pertinens: quidquid bonitatis dispersum est in Angelis, Hominibus, ceterisq; creatis, hoc omne est in te perfectissimè & eminentissimè collectum. O stultitiam mortalium! qui umbram sectantur, solem relinquunt; particulam ambiunt, totum negligunt; guttulam captant, mare bonitatis infinitum prætereunt. Doleo me aliquando fuisse de eorum numero: confir-

met

met me Domine, vis admiranda efficaciſſimi Sacramenti, ut in poſterum nunquam eò ſtultitiæ prolabar.

II. Tu quoque, mi Deus, es *omne bonum morale*, quod eſt juſtitia & ſanctitas; tu enim juſtus es in omnibus viis tuis, & ſanctus in omnibus operibus tuis: radix, origo, exemplar, finis, regula & lex æterna omnis juſtitiæ & ſanctitatis. Sancti tui habent aliquam à te ſanctitatem, ſed non omnem: alius enim juſtitiam, alius prudentiam, alius fortitudinem, alius temperantiam, humilitatem aut charitatem. Tu verò, ô Deus! es omne bonum, omne juſtum, omne perfectum & ſanctum. Quanti igitur te æſtimare, quantùm diligere te debeo? ſi æſtimo & amo ob fidem eximiam Petrum Apoſtolum, ob charitatem ardentem Paulum, Brunonem ob ſilentium & ſolitudinem, Franciſcum ob humilitatem & paupertatem, Ignatium & Xaverium propter obedientiam & animarum zelum: quâ æſtimatione, quâ dilectione te complectar ô omne bonum meum! diligo te Domine, ſed dum accedo ad te, hoc epulo ſacro ita amorem excita

cita, ut in verbis non sistam, sed reipsâ justitiam, perfectionem & sanctitatem consecter: sic enim jubes: *Sancti eritis quoniam ego sanctus sum.* Levit. 11.

III. Es etiam, ô Deus, *omne bonum communicativum*, & diffusivum sui, imò ipsa benignitas & beneficentia: veluti vas superplenum se continere nequit, quin effluat: sic tu, optime Deus, omnibus bonis redundans, & infinitam propensionem habens te bonaque tua communicandi, continere te nequis, quin ea liberalissimè profundas. Ex hoc infinito Bonitatis Oceano profluunt in primis velut quatuor Paradisi flumina, quatuor gradus boni naturalis. 1. Esse corporeum in cœlis, stellis, elementis, lapidibus & mixtis. 2. Vita vegetativa in arboribus, floribus & herbis. 3. Vita sensitiva in animantibus, volucribus & piscibus. 4. Vita spiritualis in Angelis & Hominibus. Profluunt deinde quatuor alii excellentiores communicandi modi: nam prioribus non contenta fuit divina tua Bonitas, sed alios atque alios excogitavit: nimirum 1. Gratiam supernaturalem, quæ

nos

nos divinæ reddit naturæ consortes. 2. Gloriam cœlestem, quâ similes ei reddimur. 3. Personam Filii Dei naturæ humanæ communicatam, quâ fratres ejus efficimur. 4. Divinitatem & Humanitatem Christi communicatam in sanctissimo altaris Sacramento, quâ intimè ei conjungimur. O quas gratias referam Bono infinito, tot, tamque mirabilibus modis se nobis communicanti? quàm æquum est, ut ex toto corde, ex tota animâ, atque ex omnibus viribus te diligam: ut totum id, quod à tua Bonitate accepi, in eadem sine fine diligenda occupetur? O Anima mea! Ecce, ego ostendam tibi omne bonum, in sacra scilicet Hostia absconditum: ibi est omne bonum naturale, morale & communicativum: quanta tua est felicitas! si illud dignè suscipias! quomodo non evades ex mala tota bona, justa, perfecta, sancta? accede, anhela, festina, totum pande sinum cordis, & accipies. Amen.

SUB SACRIFICIO.

Considerationes varias, præparatoriis considerationibus & affectibus variis accommoda, totóque Sacrificii tempore

I. Compare jam veluti formica quæ-dam aut vermiculus coram Numinis Supremi immensitate. Et toto Sacrificii tempore, te usque in abyssum deprime.

II. Jam velut spongia parvula in vastissimo Immensitatis & Ubiquitatis mari immersa, interiùs Deo plena, exteriùs eodem quasi circumfusa; memoriâ præsentiæ Divinæ, ad omnem attentionem & devotionem te excita.

III. Jam veluti folium à vento minimo agitabile, seu homo omni momento variabilis & penitus instabilis coram Deo immutabili compare, & constantiam in bono exposce.

IV. Jam velut Hemerocallis, flos unius diei, coram interminabili æternitate te sibi gratiámq; roga tam sanctè in hac brevi peregrinatione vivendi, ut optares in æternitate.

V. Jam velut infans unius diei, debilis, infirmus, pedibusque vix valens insistere, coram omnipotentia assiste, & divini auxilii robur ad omne bonum flagita.

VI. Jam tanquam rudis & ignarus ad Sapientiam infinitam accede, ac lumen

lumen & sapientiam cœlestem postula.

VII. Aliàs denique velut mendicus quispiam, aut ipsa potius indigentia, imperfectio, injustitia, aut malitia, coram inexhausta Dei Bonitate, Opulentia, Perfectione, Justitia ac Beneficentia versare, rogans ut omnibus bonis cœlestibus affatim diteris.

POST SACRIFICIUM.

Gratiarum actio & affectus.

I. Ad Infinitatem Dei.

DIE DOMINICO.

I. GRatias ago immortales, Deus magne & infinite, quòd Majestas tua immensa me terræ vermiculum, ex ineffabili charitate, visitare dignata sit: utinam dignationem tantam dignis affectibus, Charitatem tantam summè perfectis, gratúsque obsequiis compensare valerem! cùm verò id vires meas superet, defectum meum Bonitas tua suppleat.

Credo in te, Domine, quia tu es suprema Veritas:

Spero in te, Domine, quia tu es suprema Fidelitas:

Diligo te, Domine, quia tu es suprema Bonitas:

Adoro

Adoro te, Domine, quia tu es suprema Majestas:

Benedico te, Domine, quia tu es suprema Liberalitas:

Resigno me tibi, Domine, quia tu es suprema Æquitas:

Miserere mei, Domine, quia tu es suprema Benignitas:

II. Amo te, Deus meus, ex toto corde meo, & ex tota fortitudine mea: exulto in te, ac stupore plenus in laudes tuæ infinitæ Divinitatis mihi intimè præsentiss erumpo. Quia tu es summa essentia & summa vita: summa ratio & summa salus: Ah vivifica & salva me. Laudo te, revereor te, concupisco te, quia tu es summa justitia, summa sapientia, summa magnitudo, summa pulchritudo. Ah! trahe me post te. Glorifico te, suspiro te, & conjungo me tibi, quia tu es summa immortalitas, summa incorruptibilitas, summa æternitas, summa potestas, summa unitas, summa & incomprehensa Majestas, summa & infinita Bonitas. Ah! horum omnium me imaginem tuam quodammodo participem redde.

III. Gau-

III. Gaudeo, mi Deus, de infinita magnitudine & perfectione tua. Gratulor tibi de omnibus bonis tuis, & attributis infinitis. Æstimo te, & omnibus mundi, cœliq; thesauris ac deliciis infinitè te præfero. Vilescunt mihi comparatione tui omnia transitoria; omnis mundi gloria, omnis voluptas & opulentia, non est, nisi somnium, umbra, nihil, respectu gaudii, gloriæ & opum, quæ in te possideo. Desidero omnes corporis animæque vires, ac facultates meas ad gloriam tuam propagandam impendere. Opto animitus ut omnes fideles & infideles, justi & peccatores, æternitatis tuæ immensitatem cognoscant, & infinitudinem Majestatis tuæ adorent. Cupio medullitus, ut mundus universus Potentiam, Sapientiam, Bonitatem, Dominatum, Justitiam, Misericordiam; Providentiam & Gloriam tuam timeat, amet, colat, laudet & benedicat in omne ævum. Amen.

Hymnus.

BEati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te, *Psal. 86.* dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus

tus Dominus Deus, omnipotens, qui
nat, qui est, & qui venturus est.

Benedicta sit sancta & individua Tri-
nitas, unus Deus: & laudabilis & glorio-
sus & superexaltatus in secula.

Benedictus sit Pater in sua Potentia; &
laudabilis & glorioſus & superexaltatus
in secula.

Benedictus sit Filius in sua Sapientia;
& laudabilis & glorioſus & superexalta-
tus in secula.

Benedictus sit Spiritus Sanctus in sua
Bonitate; & laudabilis & glorioſus &
superexaltatus in secula.

Benedictus sit Deus in Donis suis, &
sanctus in omnibus operibus suis; & lau-
dabilis & glorioſus & superexaltatus in
secula.

Benedictus sit Deus in cœlo & in ter-
ra, in Angelis & Hominibus: atque in
omnibus Beatis ac Sanctis Paradisi; &
laudabilis & glorioſus & superexaltatus
in secula.

Benedictus Deus in Sanctissimo Altaris
Sacramento, in omnibus mundi templis
Altaris; & laudabilis & glorioſus & super-
exaltatus in secula.

Confitemini Domino, quoniam in sæculum misericordia ejus; & laudabilis & glorioſus & ſuperexaltatus in ſecula.

Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, &c.

II. *Affectus ad Immenſitatem Dei.*

FERIA II.

I. O Deus immenſe! qui per immenſitatem tuam es in omnibus creatis; ſed nunc peculiari ratione es intra me in auguſtiſſimo Sacramento; quâ felicitate me beas? quo theſauro me ditas? ô ultimum Bonum meum! ô ſummum Bonum meum! ô adæquatum Bonum meum! quas gratias agam? quæ dona pro tanta dignatione & beneficentia rependam? ſuſcipe quidquid ſum & valeo, O Divina Immenſitas, tu in me manes & ego in te: ſum enim in te velut in ſede, fundo ac baſi me capiente, ſuſtentante, conſervante, & undique ambiente: quàm ſecurus vivere valeo! Ego ſum in te velut pupilla in oculo, aut velut infans in matris utero, cui illa eſt domus, lectica, murus, alimentum & omnia: quàm lætus & quietus eſſe debeo! Tu enim, mi Deus, es domus mea, in qua

qua vivo, operor, semper commoror, & nunquam exire valeo: tu es lectus meus in quo requiesco, extra quem requiem nullam invenio: tu es lectica mea, quâ gestor, quocunque mihi est eundum: tu es murus meus semper me circumdans & protegens, sine quo securitatem non habeo. Laudetur sine fine tua erga me pius quàm paterna & materna Providentia. O Deus magne & mirabilis, concede mihi, ut nunquam te offendam & ingratum me exhibeam; sed semper gestem te intra me per cognitionem, & amorem, agnoscens bonum, quo me afficis, & amans ob amorem quo me prosequeris. Sum intra tuam bonitatem, transforma me in eam; vivo intra tuam charitatem, eâdem me inflamma: intra omnipotentiam tuam ambulo, illâ me, quæso, adjuva: siquidem totus sum intra te, transforma me totum in te, ut non amplius mihi, sed tibi totus vivam in æternum.

11. O incomprehensibilis Immensitas Dei mei! ego non solùm existo in te, & vivo in tua immensitate, uti piscículus in immenso mari; verùm etiam tu in me

existis, ceu conditor & conservator; nunc autem per sacram Synaxin singulari ratione es in me, velut Sol in cœlo, ut me illumines; velut oculus in capite, ut me dirigas; velut cor in pectore, ut me vegetes; velut gemma in annulo, ut me exornes; velut Rex in throno, ut me gubernes; velut Paterfamilias in domo, ut mihi provideas. O quàm gaudeo, quòd tantum thesaurum habeam intra me! quàm exulto, quòd habeam in me Patrem, Filium & Spiritum sanctum, cum corpore & anima mei Salvatoris, omnibúsque divitiis ejus, quas in me propensissimâ voluntate cupit effundere! Fac me, obsecro, idoneum ad excipiendum, & statim implebitur splendoribus anima mea, totaque illuminabitur, ut cognoscat te; dirigetur ut non erret à te; vegetabitur, ut crescat in te; exornabitur, ut delectet te; gubernabitur, ut serviat tibi; provvidebitur, ut ei desit nihil.

III. O Deus magne, non magnitudine molis, quæ competit corporibus, sed magnitudine virtutis, quæ omnes excedit spiritus! exsere in me immensam virtutem

tem tuam & miserere mei : miser sum, sed habeo intra me immensum Bonum, quod me beare potest, & mœrore abstergo, & omnibus bonis cœlestibus satiare: ah! reple me! in tenebris versor; sed habeo intra me infinitam lucem, quæ me copiosissimè valet illustrare. Ah! tenebras meas discute! frigore & languore torpeo, sed intra me vivit ignis infinitus & ardor immensus, qui me beatissimè valet accendere: ô flagrem penitus! tristitiâ obruor, sed in me latet gaudium verum, & pelagus lætitiæ immensum, in quod aliquando totus intrabo: ô quàm id desidero! Denique paupertate premor; sed regnum Dei est intra me; id est omnis boni, omnis pulchri, omnis delectabilis, & desiderabilis plenitudo, parata se in me transfundere, & sui participem reddere, ô fiat! fiat!

III. Affectus ad Immutabilitatem Dei.

FERIA III.

O Deus immutabilis! apud te non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio; quia semper idem ipse es & permanes, & anni tui non deficient.

Apud te rerum omnium instabilium stant causæ; & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines. Tu immutabilis es, mutans omnia; nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia: semper agens, semper quietus, movens & regens universa. *S. Augustin.* At ego è contra, quàm instabilis & variabilis sum; omni vento & aurâ inconstantior? quare accurro ad te, arctissimè circumplector te, ut à te sustenter & fulciar. O æterna Immutabilitas! ah! firma me in te, move me ad te, innova me, & rege me per te, ut in omni bono stabilis & immutabilis consistam.

II. O Domine jam habeo te mihi intimè præsentem, qui es firmamentum meum & refugium meum: jam possideo te, qui es totum & omne bonum meum: gaudeo te tibi ipsi infinitè sufficientem esse, atque ex omnibus creatis Angelis & Hominibus internè nihil tibi advenire; omnibus demptis, nihil decedere; imò minùs, quàm si totius mundi Monarchæ rusticana periret casula. Da mihi, obsecro, ut nulli innitar creato, neque eo obtento, exul-

exultem, neque amisso contrister; verbo, nulli adhæream & insistam nisi tibi: qui enim adhæret labili, cadet cum labili, qui adhæret tibi firmabitur in ævum.

III. Quare ô primæva & increata Dei Immutabilitas! omnis stabilitatis & immutabilitatis origo & causa: da ut ad te ascendam; tibi inhiem, tibi affigar; ut semper solidus & firmus consistam. Da ut transcendam maris hujus fluctus, & mundi turbines transvolem; nihil me moveant illecebrosæ voluptates, opes, dignitates, honores, quæ in momento transeunt. Non me terreant, pauperies, morbi, ærumnæ, persecutiones, quæ in morte finiuntur. Da ut in cœlo semper habitem, in te vivam, in te commorer; ut ibi fixus, imperturbatúsque conquiescam. Ibi supra omnium mutabilium sphæras, supra omni, solisque vias elevatus, ex alto despiciam hoc terræ punctum, & vana hominum studia, vanos labores, amores, honores quasi puerorum crepundia, videam & rideam. O fiat! fiat! *Lessius.*

IV. Affectus ad Æternitatem Dei.

FERIA IV.

I. O Deus abscondite! Deus æterne! qui modò ad me pauperculum & brevis ævi mortalem te demittere dignatus es; unde mihi tanta dignatio? Tu es æternum bonum meum, æternum principium, & finis æternus; principium sine principio, & finis sine fine: quanto igitur amore & æstimatione dignus es? Si enim bonum diuturnius, magis est amabile, & bonum centum annorum, unius horæ bono est præferendum; quantopere te amare & æstimare debeo, ô æternum bonum meum? Æstimo te infinitè pluris, quàm creata omnia, quæ, tui intuitu, minùs quàm stipula aut festuca sunt reputanda. Amo te, Deus meus, atq; omnium Hominum & Angelorum amorem complecti desidero: unicéque doleo, vel momentum vitæ meæ sine dilectione tui effluxisse.

II. Quidquid in te est, Deus immortalis, prorsus æternum est. Æterna est vita tua: *Vivo ego in æternum*, dicis ipse, *Deut.* 32. Da ut & ego per te in æternum vivam; &

& nunquam morte culpæ & pœnæ mo[r]tiar.

Regnum tuum est æternum : nam *regni tui non erit finis.* Lucæ 1. O adveniat, mediante hoc sacro epulo, in me regnum tuum : exulet verò regnum mundi, regnum carnis & diaboli in æternum.

Omnipotentia tua est æterna : nam *Potestas tua usque in æternum.* Dan. 6. Ah! protege me, defende me, conserva me, guberna me, ac tandem salva me, & salvus ero in æternum.

Sapientia tua & Bonitas tua est æterna: nam *Sapientiæ tuæ non est numerus, & Bonitatis infinitus est thesaurus*: Tu scis & vis ad salutem & perfectionis apicem me deducere; rege ergo me, & deduc me in semitis mandatorum tuorum; & in viis justitiæ sic curram, ut comprehendam.

Justitia tua æterna est : nam *Justitia tua justitia in æternum.* Psal. 142. *manens in seculum seculi.* Psalm. 111. Non intres in judicium cum servo tuo, quando etiam justitias meas judicabis.

Misericordia tua est æterna : *Quoniam in æternum misericordia ejus.* Psal. 135.

Ah! miserere mei semper & parce: præsertim, cùm veneris judicare, noli me condemnare. *Ego enim sicut oliva fructifera in Domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum & in seculum seculi.* Psal. 51.

Denique, mi Deus, Pulchritudo tua, Liberalitas tua, Sanctitas, Amabilitas, Perfectio & omnia quæ in te sunt, æterna sunt: nam; *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à seculo & usque in seculum tu es Deus.* Psal. 89 2. Recrea me, satia me, dita me, & perfice me, ut unicè tibi placeam, & perfectiones ac misericordias tuas in æternum decantem.

III. O divina Æternitas! tu semper menti meæ obversaris: tu semper altè cordi meo infixa hæreas: tu omnium actionum mearum sis regula: tu omnia terrena mihi in contemptum vertas: tu sis mihi in omni afflictione solatium; in omni tentatione præsidium; in omni prosperitate monitorium & frœnum: tu sis scopus amoris mei, toto vitæ hujus fugacis tempore. O quàm doleo! quod tam serò te cognoverim, tam serò te amaverim, ô beata Æternitas! ô quàm doleo tot vitæ

meæ

meæ horas, dies, menses, annos absque tui amore esse elapsos. Tu ab æterno amastime; ego non redamavi, sed offendi te. Ah! da mihi saltem, ô Increata Æternitas! ut quod reliquum est vitæ meæ brevis, & instar puncti evanescit, id totum in amore tui impendam. Da ut modò incipiam clariùs cognoscere, ferventiùs amare, & laudare te in tempore, quo, illud postea perfectiùs continuem in æternitate. Amē.

V. Affectus ad Omnipotentiam Dei.

FERIA V.

I. Fides.

O Potentissime Deus! Pater, Fili, & Spiritus sancte, qui me hominem fragilem invisere, & intimè mihi appropinquare in Sacramento dignatus es: excita me, robora me, ut in affectus præsentiâ tuâ non indignos prorumpam. Credo incomprehensibile in Deitate unitatis & Trinitatis sanctissimæ mysterium. Credo in te Deum Patrem omnipotentem: & in Jesum Christum Filium tuum omnipotentem: & in Spiritum sanctum pariter omnipotentem. Credo omnia admiranda & prorsus stupenda opera, quæ omni-

potentia tua tam in veteri, quàm in nova Lege patravit, indiésque patrat, præsertim in hoc ineffabili fidei mysterio, & inexplicabilis amoris Sacramento. O si Gentiles, Judæi & Hæretici omnes idem vivacissimè mecum crederent!

II. Spes.

IN hac Omnipotentia tua, mi Deus, omnem spem meam & fiduciam singularem repono: cùm enim tu omnia possis, nihilque tibi sit impossibile: spero omnipotentiam tuam in omnibus necessitatibus meis certò mihi adfuturam. Confido Eandem, mihi peccatorum remissionem, pœnarum indulgentiam, amorem tui eximium, gratiam efficacem, perseverantiam finalem, omniaque media ad salutem æternam necessaria aut opportuna, liberaliter concessuram. Hâc omnipotentiâ fretus, si consurgant adversum me castra non timebit cor meum; & si insurgat in me prælium, in hoc ego sperabo: hostiumq; visibilium & invisibilium cuneos penetrabo securus: *quoniam tu es protector meus & liberator meus: adjutor meus & redemptor meus: illuminatio mea & salus mea, quem timebo?*

III. Hu-

III. Humilitas.

CUm verò Apostolus tuus monuerit: *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut exaltet vos in tempore visitationis.* 1. Petri 5. Ego terræ vermiculus, coram te Deo omnipotente, animam meam humilio, torúsque ante thronum Majestatis tuæ prostratus ac pavimento adhærens te adoro, meq; & omnia mea tibi submitto. Agnosco infirmitatem, & fragilitatem meã omnimodam, nihil sine te valentem: revereor potestatem tuam summo jure de me pro arbitrio disponentem: ecce in manibus tuis, tempora mea & omnia alia.

IV. Timor.

TRemo etiam coram te, potentissime Deus, atque expaveſco, dum stupenda opera tua consídero, quæ usque modò operaris in cœlo & in terra: præsertim in sacrosancta Eucharistia: ad quam corde immundo accedere, aut sine debita præparatione appropinquare, quis mortaliũ non perhorrescat? Non timeo, nec tam terreor ab his, qui solum corpus occidunt, & post hæc non habent amplius, quod faciant: sed valde, instar filii reverentissimi

& amantissimi, timeo te, Deus omnipotens, qui postquam occideris, potestatem habes corpus & animam mittendi in gehennam; & in ipso peccati momento cum fulmine & tonitru, sicut Luciferum, deturbandi in infernum; ita ut nemo quenquam de manu tua possit eruere. Quàm terribilia sunt opera tua Domine!

V. Charitas.

SEd & quàm amabilia! exstimulat enim me ad amandum, quoque te, omnipotentia tua, quæ creavit me, conservavit me, dotavit & ditavit me omnibus bonis & donis tuis. Si igitur in Parentes & Benefactores tanto feror amore; in te Creatorem meum & Benefactorem summum quanto amore rapiar? si auxiliatores & adjutores diligo: te non complectar arctiùs, à quo in omnibus cogitationibus, verbis & actionibus juvor & dependeo plus quàm umbra à corpore? O Deus omnipotens diligo te super omnia, & millies ampliùs diligere te desidero: sed cum sine te, nihil possim facere, tua me juvet omnipotentia, ut tenerrimè amem te hîc, & ibi in Patria in sempiterna secula. Amé.

VI. Aff.

VI. Affectus ad Sapientiam Dei.

FERIA VI.

I. O *Altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus* ! Rom. 11. Ita attonitus miratur Apostolus, in tertium cœlum raptus: & quomodo non caligabunt ad tantam Sapientiæ lucem, oculi tenebris assueti homuncionis ? Videmus tamen nonnulla veluti per speculum in ænigmate, & per ea quæ condita sunt, ad Conditoris notitiam ascendimus. Quantopere enim ô sublimissima Dei Sapientia effulges in rebus creatis & operibus naturalibus, quæ omnia in numero, pondere & mensura disponis; omnésque illorum partes, officia, inclinationes, perfectiones, & facultates ordinas; totumque universum stupendâ adeò Harmoniâ & concordi discordiâ sapientissimè distribuis, temperas & gubernas. Dispone, obsecro, res animæ meæ; ideo enim ad me venire dignatus es: auge in ea numerum bonorum operum, pondus ferventium affectionum,

&

& mensuram tuarum gratiarum: mihiq; concede mensuram confertam, coagitatam & supereffluentem, hîc gratiæ, ibi gloriæ, ut in æternum, cum amoris pondere, sine numero, & sine mensura te diligam.

II. O Altissima Dei Sapientia! quàm deinde admirabiles sunt adniventiones tuæ in operibus supernaturalibus gratiæ; in Redemptione, Incarnatione, aliisq; innumeris ac præsertim in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quod inveniſti, ut Electos tuos, à peccatis vitiisque eruas, & ad culmen virtutum promoveas. O infinita Sapientia! tu nosti mille vias & modos ut fines tuos assequaris, ad me eripiendum à malis, & ad ditandum bonis gratiæ & gloriæ, quæ mihi desideras. Eripe me de laqueo venantium, de potestate tenebrarum, è vinculis peccatorum & passionum mearum; ego enim omnem fiduciam in te colloco, sicut in his, ita & in omnibus aliis, etiam quæ aliàs desperata videntur: ubi enim ego nullum remedium invenio, Sapientia tua reperit innumera. Concede mihi, ut inveniam modos amore tui me mortificandi, virtutes statui meo tam sublimi

mi conformes exercendi; ipsamq; perfe-
ctionis præcelsæ metam attingendi. Amẽ.

III. O Deus magne consilio, & incom-
prehensibilis cogitatu! quis cognoscet oc-
culta Sapientiæ tuæ, nisi tu ei manifestave-
ris? Quàm mirabilis facta est scientia tua
in me, confortata est, & supra me elevata,
& non potero ad eam ascendere: ecce
enim, Domine, tu omnia nosti, quæ in me
latent: tu dinumerasti non tantùm omnes
gressus meos, & capitis mei capillos; ve-
rùm etiam omnes annos, dies, horas &
momenta vitæ meæ: tu dinumerasti om-
nes imaginationes & cogitationes, omnes
locutiones & actiones, omnia desideria,
propositа, consilia, studia, opera bona, ma-
la, adiaphora, præterita, præsentia & futu-
ra. Ac proinde metuo & erubesco, Domi-
ne, ob commissa tot per culpam meam
mala: lætor & gaudeo ob tot per gratiam
tuam peracta bona. O si notum mihi fa-
ceres finem meum, mihi incognitum, tibi
perspectum, ut ferventiùs tibi servirem; &
tempus breve quod reliquum est, fructu-
osiùs impenderem! Quàm cautè mihi de-
inceps ambulandum est coram Sapientia
tua;

tua, omnia spectante & sciente! Quàm sollicitè observandi oculi illi, qui lucidiores super solem, considerant omnes vias hominum!

O Inscrutabilis Dei mei Sapientia! dum te considero, ac summam ignorantiam meam tecum compono: confundor, deprimo & submitto me, cum Vate Regio dicens: *Vt jumentum factus sum apud te.* Psal. 72. Et cum Jeremia protestans: *A, a, a Domine Deus nescio loqui, quia puer ego sum.* c. 1. Sed da mihi intellectum & scrutabor mirabilia tua: da mihi lumen, ut videam, & cognoscam te, sicut & cognitus sum. Da mihi Sapientiæ tuæ radium, ut noverim me, noverim te; oderim me, diligam te; ut terrena cuncta fastidiam & cœlestia sola desiderem.

O Fons Sapientiæ, Verbum Dei in excelsis! Si artes raras & industrias, si inventiones & scientias diligo; quantò magis omnis artis, Sapientiæ & scientiæ fontem inexhaustum diligere debeo? Si libenter colloquor & conversor cum viris ingenio & omni doctrinâ præstantibus; quantò libentiùs cum omnis ingenii & doctrinæ

Lat-

largitore; cujus verba corda accendunt, & illuminant, mihi colloquendũ & conversandum erit? O amabilissima Numinis Sapientia, gaudeo, quod infinitè sis major, quã vel Seraphini vel Cherubini comprehendere valeant. Hoc unum obsecro, per amorem illũ infinitum, quo adme indignum venisti, da ut defectum cognitionis, amoris excessu suppleam: ex toto corde te diligam; tibi fidelissimè serviam, & ad clarã tui visionem indesinenter suspirem. Amen

VII. Affectus ad Bonitatem Dei.

SABBATHO.

I. QUàm dives jam es, Anima mea; habes enim & possides, unum, verum & summum Bonum; imò solum & omne Bonum: quàm igitur felix, quàm beata es! gaude, exulta, jubila, tantúmque Bonum, tã quã decet, ratione tracta. O Deus meus! tu es *omne Bonum naturale*, omne perfectum, cui nihil deest, quod naturæ divinæ perfectio exigit: tu enim es infinita & perfecta pulchritudo, dulcedo, lætitia, opulentia, gloria, Majestas: tu es infinita, & omni ex parte perfecta, Potentia, Sapientia & Bonitas. Atque hæ perfectiones omnes jam sese mihi infuderunt: quantopere

igitur gaudere & exultare, iisque fruidebeo? Si enim creata pulchritudo, dulcedo, gloria, quæ umbra tantùm est, ita cor meum trahit; quantopere infinitæ bonitatis, pulchritudinis, ac dulcedinis abyssus me rapiet? O stultitia cordis mei! qui bonitatis guttam, in homine, nummo, aliâve re creatâ plus amavi, quàm immensum omnis bonitatis oceanum. Amo nunc, te Deus meus, super omnia, & si fieri posset, perfectissimo, imò infinito amore te complecti desidero.

II. Præterea tu, mi Deus, es quoque *omne Bonum morale*, id est, omnis justitia, puritas, sanctitas. Unde ergo hoc mihi, ut ad me peccatorem immundum descendas? nisi ut me puritatis & sanctitatis tuæ participem efficias. O Sanctitas & puritas substantialis! quæ peccatum velut unicè tibi contrarium, odio infinito prosequeris, pœnâ infinitâ plectis, bono infinito privas: da ut illud velut capitalem hostem tuum summè semper oderim; ne tibi in æternum displiceam. O Radix omnis perfectionis, omnes imperfectiones meas erade! O exemplar omnis virtutis, da ut

ad

d te semper respiciam. O Regula omnis
ritatis, da ut ad te semper dirigar! O
ex æterna sanctitatis, da ut tibi in om-
ibus conformer! O Finis omnis justitiæ,
da ut ad te in omnibus tendam, tibi con-
ungar, tuique particeps evadam: sicut e-
im rebus terrenis mixtus, & luto creatu-
arum junctus coinquinor, ita tibi, rebúsq;
celestibus conjunctus, purificor & san-
tificor. Tu es Dominus virtutum, virtu-
es omnes cum excellentia infinita possi-
dens; ah! miserere mei, qui tot annorum
spatio, quo tibi servio, nec unicam perfe-
ctè assecutus sum. O Infinita Justitia, me
injustum justitiâ imbue! O infinita Pru-
dentia, me imprudentem illumina! O in-
finita Temperantia, me intemperantem
tui participem redde! O infinita Fortitu-
do, me debilem corrobora! O infinita
Charitas, Misericordia, Mansuetudo, Cle-
mentia, Liberalitas, omnibus hisce virtu-
tum ornamentis me condecora, ut singu-
larem in me complacentiam semper re-
perias.

III. Denique, Deus Optime, Maxime,
tu es *omne Bonum communicativum*, &
diffu-

diffusivum tui. Ipsa Beneficentia, quæ-
bus omnibus perfectiones convenientes
adeò profusè communicas. Mihi in pri-
mis servorum tuorum minimo,& minimè
merito,quàm largam liberalemque ex-
hibes ? tua enim Benignitas non contenta
fuit largiendo mihi cum elementis esse,
cum plantis vivere, cum animantibus sen-
tire,cum Angelis intelligere; sed insuper
adjecit dona supernaturalis gratiæ, & suo
tempore , ut spero concedet præmia glo-
riæ; in quorum pignus modò tribuisti Pa-
nem Angelorum. O quid reddam Bene-
ficentiæ tantæ ? quas grates tantæ Libera-
litati referam ? Ecce Domine, cùm nihil
nobiliùs, nihil præstantiùs reperiam;quod
rependam, quàm cordis mei amorem;di-
ligam te, ô Bonitas ! ex toto corde meo;
ob naturam corpoream , quam mihi de-
disti : diligam te ex tota anima mea, ob
donatam mihi vitam,quâ per illam fruor:
diligam te ex omnibus viribus meis, ob
communicatos mihi sensus & potentias,
quibus utor : diligam te ex tota mente
mea ob inditum mihi spiritum & intel-
lectum,quo te cognosco : diligam te de-

nique

pique ex tota fortitudine mea, ob præstita mihi dona gratiæ, & futura præmia gloriæ; ob unionem hypostaticam cum Humanitate, ob communicationem Divinitatis & Humanitatis sub specierum sacrarum velamine. O Virtus Corporis & Sanguinis Domini operare hæc in me! o efficacia Divinitatis in Sacramento latentis, perfice me, ut perfectissimè diligam te: *Non enim contingit aliquem perfici, perfectione hierarchicâ, nisi per Divinissimam Eucharistiam.* S. Dionys. de cœlest. Hier. c. 3.

Monitum I.

Ne verò ingratum te pro tanto Communionis sacræ beneficio exhibeas, pro quo tota æternitate sufficientes gratias referre nequis, beneficii hujus magnitudinem sæpius per diem in memoriam revoca; jam gratias age Deo Patri, quod Filium suum unigenitum tibi concesserit: jam Filio, quod te visitare dignatus sit: jam Spiritui Sancto, quod donis suis te repleverit. Toto reliquo die animum non nimium ad externa effunde, sed subinde recollige: oculi custodi, qui Christum speciebus sacramen-

mentalibus tectum conspexerunt; manus quæ elevarunt; linguam quæ velut patena sacra eum sustinuit, os quod eum sumpsit, cor quod suscepit. Atq; hæc denuo bona erit ad insequentem Communionem præparatio.

Monitum II.

Optimum verò erit, si sequens adjunxeris & observaveris septenarium. 1. Omne peccatum etiam minimum deliberatũ & voluntarium cave. 2. Memoriam à creaturis abstrahe; de necessariis congruo loco & tempore cum spiritûs libertate cogita. 3. Sensus à vanitate & curiositate custodi. 4. Corpus in simplicitate, sobrietate, & castitate conserva. 5. Noxias familiaritates, adhæsiones ad loca, officia aliáve abjice. 6. Super opera tua, nelabaris, sollicitè advigila. 7. Peccatis odio verissimè habitis, sensibus cohibitis, affectibus domitis, virtutes universas sectare, & ad intimam cum Deo familiaritatem, & charitatis unionem aspira. Hæc fac & vives; maximóque fructu ac gustu Sacramentum indies frequentabis.

APPEN-

APPENDIX
Pro Festis B. MARIÆ Virginis;
ANTE SACRVM.
Oblatio Cordis.

O Augustissima cœlorum Regina! intendo dilectissimum Filium tuum Jesum Christum corde & ore suscipere: sed utinam cor mundum, cor seraphico & materno flagrans amore possiderem; quàm illud libens Regi cordium in hospitium & tributum consecrarem? cùm verò cor meum vitiorum & imperfectionum sordibus contaminatum sit, patere ô Regina cordium! ut illud precibus ac meritis tuis priùs emaculandum offeram, quo ad Filium tuum purissimum suscipiendum, deq; offerendum dignius efficiatur.

I. Offero igitur tibi *ô Regina Virgi-num* cor meum impurum, variisque peccatorum maculis sordidum: humilliméq; te deprecor, ut veram mihi impetres cordis puritatem, atque ita cor meum mundum, cordíque tuo mundissimo conjunctum, velut Lectulum floridum, Regi cordium offerre digneris.

II. *O Regina Martyrum*, offero tibi cor meum immortificatum, passionibus suis ac sensualitatibus subjectum; & enixè obsecro, ut verum mortificationis spiritum mihi obtineas; atque ita cor meum mortificatum, cum omnium Martyrum cordibus, Jesu Christi cordi summè mortificato, velut castrum inexpugnabile offerre digneris.

III. *O Regina Confessorum!* offero tibi cor meum, vanitate & superbiâ tumidum; ac instantissimè rogo, ut veram humilitatem mihi exores; atq; ita cor meum humiliatum, cum omnium Confessorum humiliatorum cordibus, humillimo Jesu cordi, veluti præsepium parvum offerre digneris.

IV. *O Regina Patriarcharum!* offero tibi cor meum obtenebratum & obscuratum, demississimèq; te precor, ut fidem vivam mihi impetres, & cor meum illuminatum cum Patriarcharum fide illuminatorum cordibus, illuminatissimo Jesu cordi, velut cœlum illustre adornare digneris.

V. *O Regina Prophetarum!* offero tibi cor meum desideriis mundanis immer-

sum

ſam, intiméque te obſecro, ut certam æternorum ſpem mihi obtineas, atq; ita cor meum cum Prophetarum cordibus ſpe bonorum cœleſtium elevatis, cordi Chriſti erectiſſimo, velut hoſpitium gratum conſecrare digneris.

VI. *O Regina Apoſtolorum!* Offero tibi cor meum, terrenorum amore infectum, ſupplicitérque te deprecor, ut perfectam Dei ac proximi charitatem mihi amores: atq; ita cor meum, unà cum Apoſtolorum cordibus divino amore inflammatis, ardentiſſimo Chriſti Cordi, velut templum inauratum dedicare digneris.

VII. *O Regina Angelorum!* Offero tibi cor meum, multis occupatum, variiſq; diſtractum; & ferventiſſimè ſupplico, ut mihi cor liberum, cor expeditum, cor Chriſtianum impetres, atq; ita cor meum cordibus Angelorum unitis ac recollectis etiam in hominum miniſterio occupatis, benignissimo ac perfectiſſimo Jesu cordi velut hortum concluſum aperire digneris.

O Regina Univerſi! hæ ſunt gratiæ, quas à tua Majeſtate ſupplex poſtulo: accipe hocce cor meum, illudq; lava, mun-

da, sanctifica purissimo Filii tui sanguine, ut omnino mundatum, sanctum, ac Deificatum Redemptori meo, Filio tuo præsentari & acceptari, pasci & satiari, amari & possideri æternùm mereatur. Amen.

SUB SACRO.

I. Sub Kyrie, *imitare ferventissima Beatissimæ Virginis desideria, ante Verbi incarnationem elicita.*

II. Sub Gloriâ, *lauda, benedic & adora Christum natum exemplo D. Virginis in stabulo Bethlehemitico aut Nazarethana Domo.*

III. Sub Epistola & Evangelio, *excipe verba Christi, & conserva in corde tuo more B. Virginis.*

IV. Sub Credo: *exerce actus fidei, ad imitationem B. Virginis cui dictum est: Beata quæ credidisti.*

V. Sub Canone: *elice ferventes actus compassionis & resignationis, doloris & amoris, exemplo B. V. stantis sub cruce.*

VI. Sub Communione, *eâ devotione ac animi teneritudine uni te Christo, quâ Beatissima Virgo aut Verbum illapsum sensit.*

suscipiens, aut è manu S. Joannis Evangelistæ communionem recipiens: ejúsque exemplo gratias cordiales age.

VII. Sub Benedictione, *cogita quo affectu & solatio Deipara Virgo, à Filio suo ad cœlos ascendente, ultimam in monte benedictionem exceperit. Eodémque affectu & effectu opta eam populo impertiri.*

POST SACRUM.

Psalterium Decachordum Laudis & Lætitiæ, seu Canticum Magnificat à B.V. decantatum, à Sacerdote post Celebrationem similibus affectibus expressum.

O Virgo Beatissima! quemadmodum tu Verbi Incarnati viscéribus tuis inclusi inspiratione ad Deum magnificandum & in eo lætandum es excitata, & in decem versiculos eum laudandi ex spiritu erupisti: ita & me ad eundem Dominum magnificandum, atque in eo gaudendum intercessione tuâ potenti adjuvare dignare.

O Verbum Incarnatum! nunc quoque in amabili Sacramento viscéribus meis indusum, obsecro te, per benedictam Matrem tuam, excita me, ut ejus exemplo,

anima mea te dignè magnificet, & spiritus meus cum gaudio in te exultet.

I. *Magnificat anima mea Dominum.*

Anima mea altè & magnificè de Deo sentit, omni laude majorem esse agnoscit; pro viribus tamen laudat Dominum, ejusque bonitatem, misericordiam, sapientiam, charitatem, rationemq; ejus dominandi præstantissimam, quantùm potest extollit.

II. *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

O Salvator mihi intimè præsens! non solùm cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum; sed & exultavit spiritus meus, in te Deo salutari meo: gaudium enim meum non in corporeis sed spiritualibus; non in donis tuis, sed in donorum Largitore, non in creatis, sed in Creatore & multò magis in Jesu Salvatore meo totum colloco, ac de infinitis ejus perfectionibus exulto.

III. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, ejusq; parvitatem & vilitatem non despexit. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, sive præsentes,

sive

sive futuræ. Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo: psal. 34. quia humilia respicit in cœlo & in terra, suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum Principibus populi sui, respexit humilitatem & indignitatem animæ meæ, ancillæ suæ, pro ea redimenda ad tanta agenda & patienda se demittens, & proprio eam corpore ac sanguine pascens. Ecce enim ex hoc tempore, ex hoc beneficio & honore, ex hoc certo æternæ felicitatis pignore, beatam meritò me dicent omnes generationes.

IV. *Quia fecit mihi magna qui potens est & sanctum nomen ejus*

Magni Filii magnam Matrem efficiens Maternitatem cum Virginitate conjungens, aliáque mirabilia in me operans, ac dona cœlestia copiosè profundens. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo: verè enim & mihi fecit magna qui potens est & sanctum nomen ejus, nam è faucibus Inferni me eruit, & è peccatorum sordibus me extraxit: tot beneficiis & gratiæ donis me cumu-

lavit, fide illustravit, charitate accendit, e-pulo cœlesti toties me pavit: ad sacerdo-tium regale, aliósq; per Sacramenta san-ctificandos me evexit : Laudabo igitur eum qui potens est & sanctum nomen ejus, cum quatuor Sanctis Animalibus concinens: Sanctus, Sanctus, Sanctus Do-minus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est. *Apoc.* 4. 8.

V. *Et Misericordia ejus à progenie in progenies, timentibus eum.*

Meritò ampliùs magnificat anima mea te Domine, & spiritus meus in te Deo sa-lutari meo exultat: quia misericordia tua non mihi tantùm exhibita est, verùm et-iam tot Electorum millibus, ex omnibus tribubus, populis & linguis, omnibusque nationibus, quæ sub cœlo sunt, quibus ex-ortus Sol justitiæ lucis fidei & gratiæ ra-dios diffundit, diffundétq; usque ad con-summationem seculi, à progenie in pro-genies, obsequentibus & timentibus eum.

VI. *Fecit potentiam in brachio suo.*

Virtutem suam ostendendo, non solùm in mundi creatione, gubernatione, pro-digiosa populi Israëlitici ex Ægypto edu-

ctione

ctione, ceterorumq; Legis veteris prodigiorum patratione; verùm etiã in ſtupenda ac recente Verbi Divini Incarnatione.

Arripe anima mea & hunc, Deum magnificandi titulum : exulta in ſpiritu, & delectare in Deo ſalutari tuo; quia fecit potentiam in brachio ſuo, non ſolùm in prædictis magnalibus; verùm etiam in inſtitutione ſummè ſtupendi Euchariſtiæ Sacramenti, quo hodie refecta & recreata es: Quare Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto ejus: nam *diſperſit ſuperbos mente cordis ſui:* Omnipotentiam ſuam non ſolùm in miſericordiæ operibus, ſed etiam in juſtitiæ ſeveritate manifeſtans, ſuperbos caſtigans, eorumque machinationes diſſipans & diſperdens.

VII. *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.*

Magnificat anima mea Dominum, & exultat ſpiritus meus in Deo ſalutari ſuo: quia depoſuit potentes de ſede, præcipitavit Luciferum, Pharaonem, Nabuchodonoſorem, alioſq; ſuperbos, potentes, nobiles humilians : humilem verò Virgi-

nem, humiles Patriarchas, Prophetas, Apostolos alioſque Sanctos exaltans.

VIII. *Eſurientes implevit bonis*, ſpiritualibus, cœleſtibus, æternis: *Divites* verò terræ filios, *dimiſit inanes*. Ideoq; lauda Deum tuum, & exulta anima mea in Jeſu Salvatore tuo, qui & te coronat in miſericordia & miſerationibus, ac replet in bonis deſiderium tuum: ſeipſum tibi eſurienti in epulum præbens: Hæreticos verò impioſque opinione ſuâ divites & eſcam hanc cœleſtem nauſeantes dimittens inanes.

IX. *Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.*

Magnificat quoque anima mea te Domine, & exultat ſpiritus meus in te Deo ſalutari meo ob curam & providentiam tuam paternam, erga nos, quos ſicut Iſrael puerum tuum ſemel in filios ſuſcepiſti, ipſemet ad nos juvandos accurrens per Incarnationem, prædicationem & Sacramenta. Et licet noſtri interdum oblivíſci videaris, maturè tamen memor es noſtri, & recordatus miſericordiæ tuæ medelam adhibes.

X. *Sicut*

X. *Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham & semini ejus in secula.*

Deniq; magnificat anima mea te Domine, & exultat spiritus meus in salutari tuo, quia summè fidelis es in omnibus, quæ Abraham, David, aliisque Patriarchis & Majoribus nostris promisisti, & insigni opere Incarnationis adimpleviſti. Eris quoque porrò fidelis in omnibus iis, quæ Apostolis patribus nostris spopondisti; nec eorum Filiis ac posteris usque ad finem mundi deeris. Ideoq; sit

Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, sicut erat in principio, & nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

PRAXIS
Devotè audiendi Sacrum.

I. Templum ingressus, & aquâ lustrali aspersus, actuq; contritionis elicito, mox flexis genibus Christum Dominum in Sacramento venerabili absconditum adora, tum viva fide ac pietate dicens: Adoro te devotè latens Deitas, quæ sub his figuris verè latitas, &c.

II. Toto tempore Sacri modeſtam corporis compoſitionem, cum interna, externaq; reverentia præfer cogitans te verſari in præſentia Dei & innumerabilium Angelorum Regem ſuum, Aulicorum inſtar ſtipantium.

III. Forma intentionem cum Sacerdote ſacrificaturo ; juxta formam quadruplicis Sacrificii, quam habes ſuprà pag. 159. vel brevius, ut ſequitur.

Intentio.

O Sacroſancta Trinitas ! offero tibi hoc ſacrificium ad omnes illas intentiones, quas Filius tuus Jeſus Chriſtus ſacrificium inſtituens ſibi præfixit; ad omnes quoque intentiones unquam à ſanctis Sacerdotibus, piiſque hominibus ſibi præfixas. In primis verò offero tibi, ô Deus! hoc ſacrificium velut latreuticum, ad laudem & gloriam tuam tanquam ſupremo vitæ & mortis Domino. 2. Offero quoq; illud in Sacrificium Euchariſticum & gratiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi ac toti Eccleſiæ militanti & triumphanti unquam conceſſis aut concedendis. 3. Offero etiam idem in ſacrificium propi-

propitiatorium pro omnibus meis ac totius mundi peccatis. 4. Denique offero idipsum in sacrificium impetratorium, ut mihi, meis, aliisque indigentibus, tam vivis quàm defunctis, omnia ad salutem æternam necessaria & utilia largiaris. Suscipe illud obsecro in odorem suavitatis. Amen.

IV Varias Sacrum audiendi praxes, ex supradictis variis celebrandi modis facilè confeceris.

Praxis I. audiendi Sacrum.

REflecte animum ad præcipua fidei nostræ mysteria in Missæ sacrificio repræsentata: v g. sub Introitu & Kyrie captivitatem Patrum in limbo misericordiam Dei & adventum Messiæ desiderantium. Sub Gloria in excelsis Nativitatem Christi; sub Evangelio prædicationem; sub Elevatione crucifixionem, sub Communione sepulturam; sub Benedictione ultima ascensionem in cœlum: simulq; convenientes dictis mysteriis affectus excita.

Praxis II.

ALtera praxis est, ut non tantùm ad fidei nostræ mysteria & ceremonias; verùm

rùm etiam ad verba aut sensum verbi-
rum à Sacerdote prolatorum attendas,
congruosq; fidei, spei, charitatis, hu-
militatis, adorationis gratiarum actionis
affectus elicias.

Praxis III.

SI varietate delecteris: tempore Adven-
tûs age cum Christo Domino tempore
Sacri tanquam cum Fratre, & affectus fi-
dei, adorationis, humilitatis desiderii, &
amicitiæ exerce ut suprà pag. 178. & seqq.
notatos invenies.

Praxis IV.

TEmpore Nativitatis, conversare cum
Christo vlut cœlesti Magistro, rogaq;
illum ut humilitatem paupertatem, mun-
di contemptum, incommodorum amorem,
caterarumq; virtutum perfectionem te do-
ceat. Vide pag. 202.

Praxis V.

TEmpore quadragesimæ festina ad Chri-
stum, velut æger ad medicum omnipo-
tentem, atq; utere orationibus de 7. San-
guinis Christi profusionibus, quas reperis
pag. 222. exercendo fidem, quòd possit,
spem, quia promisit, & vult, te sanare.

Praxis

Praxis VI.

TEmpore Paschali, accede ad Sacrum, tanquam famulus obsequia sua delaturus Regi gloriæ. Vide supra considerationes & affectus pag. 253. & seqq.

Praxis VII.

TEmpore Pentecostes velut frigidus ad Ignem infinitum appropinqua, petens ut scoriam peccatorum tuorum consumat, frigidum velut ferrum igneum reddat. Considerationes & affectus usurpa notatos supra pag. 283. & seqq.

Praxis VIII.

POst festum SS. Trinitatis, accurre ad Christum Dominum absconditum, gemens te velut cœcus, in præsentia Regis, quem licet non videat, tamen reveretur & honorat. Expende attributa divina. pag. 333. & seqq.

V. Post Sanctus, commenda Christo Domino in sacratissima ejus Vulnera sequentus &

Memento Vivorum.

O Amantissime Jesu! in vulnus sacratissimum dexteræ manûs tuæ commendo tibi, Pontificem, Cardinales, Archi-Episco-

Episcopos, Episcopos, Pastores, Sacerdotes, omnésque Ecclesiasticos & Religiosos. In Vulnus sinistræ manûs tuæ, commendo tibi Imperatorem nostrum, Reges & Principes Christianos. In vulnus dexteri Pedis tui commendo tibi Parentes, Fratres, Sorores, Cognatos, Amicos, & Benefactores meos. In vulnus sinistri Pedis commendo tibi Ethnicos, Hæreticos & Peccatores. In Vulnus sacratissimi Lateris tui, commendo tibi ô Jesu! corpus & animam meam vivens & moriens: ac per acerbissimum dolorem & sanguinem pretiosum horum quinque vulnerum te oro atque obtestor suppliciter, ut mihi prædictisque omnibus gratiam copiosam, charitatem perfectam, de hostibus visibilibus & invisibilibus victoriam, & felicitatem æternam largiri digneris. Amen.

VI. *Ad Elevationem sacræ Hostiæ pectus tundens, ora.*

O Jesu dilectissime! per glorioſum corpus tuum miserere mei & pasce me: per sacratissimam animam tuam miserere mei & sanctifica me: per sanctissimam Divinitatem tuam miserere mei & salva me.

subjunge. Ave

Ave verum corpus natum,
De Maria Virgine,
Verè passum immolatum,
In cruce pro homine,
Cujus latus perforatum,
Undâ fluxit & sanguine,
Esto nobis prægustatum,
In mortis examine.
O Jesu! ô pie,
Fili Mariæ, Miserere nobis.

Ad Elevationem Calicis sacri, ter pectus tundens ora.

O Jesu amantissime! per pretiosissimum Sanguinem tuum, miserere mei & lava me; per sacrosancta vulnera tua miserere mei, & sana me: per dolorosissimam mortem tuam, miserere mei & vivifica me

Subnecte.

Salve nobilis & pretiose Sanguis, de vulneribus Domini mei Jesu Christi profluens; & peccata totius mundi abluens; ablue, sanctifica & custodi animam meam in vitam æternam. Amen.

VII. *Memento Defunctorum.*

Præter animas Parentum, Fratrum, Sororum, Amicorum, Benefactorum, aliorumve

rúmve tibi specialiter commendatorum, Domino Jesu Christo, in Vulnera quinque sacratissima commenda sequentes Defunctorum animas.

O Jesu mitissime! In vulnus sacrosanctum dexteræ manûs tuæ commendo tibi animas Fidélium Defunctorum liberationi proximas, ut quod illis deest hujus Sacrificii virtute, & meritis tuis infiniti valóris suppleas, easq; ad amabilissimum cónspectum tuum protinus admittas. II. In Vulnus manûs sinistræ, commendo tibi animas, suffragiis vivorum maximè destitutas, ut hujus Sacrificii efficaciam & misericordiæ tuæ abundantiam expertæ, beatitudine æternâ citiùs donentur. III. In Vulnus Pedis dexteri commendo tibi animas, diutiùs purgatorii pœnis cruciatas, ut abbreviatis doloribus ad æterna gaudia citiùs evolent. IV. In Vulnus Pedis sinistri commendo tibi animas, quæ in vita Jesum & Mariam ferventiùs dilexerunt; ut citiùs liberatæ, amorem inchoatum in via, consumment in patria. V. In Vulnus denique sacratissimi Lateris tui commendo tibi animas illustriorem sanctitatis

ditatis gradum adeptas, magísque te in cœlo laudaturas, ut Sanctorum & Angelorum Choris insertæ citiùs cum iisdem te glorificent, ac benedicant in secula. Amen.

VIII. *Praxis Communionis spiritualis.*

1. Ad Agnus Dei, *illud cum Sacerdote ter pectus tunde, & contritionem de peccatis cordis, oris, operis elice.*

2. *Fervens Christum Dominum in Sacramento suscipiendi desiderium excita;* dicens: Desidero te millies, Mi Jesu quando venies? me lætum quando facies, me de te quando saties?

3. Ad Domine non sum dignus, *Agnosce indignitatem tuam.* 1. *Ob summam & infinitam Dei Majestatem.* 2. *Ob maximam tuam vilitatem.* 3. *Ob innumeram peccatorum tuorum multitudinem. Eamq; trinâ pectoris tunsione prosequere.*

4. *Sacerdote Hostiam sacram sumente, desiderium Christum Dominum sumendi, teq; ei intimè uniendi renova, & corde ferventi suspira:*

Credo

Credo in te, ô Suprema Veritas!
Spero in te, ô æterna Felicitas!
Amo te, ô infinita Bonitas!
Revereor te, ô altissima Potestas!
Adoro te, ô immensa Majestas!
Gratias ago, ô summa Liberalitas.

Subjunge Oratiunculam S. Ignatio olim familiarem: Anima Christi sanctifica me. &c.

IX. Sub Benedictione Sacerdotis, *velut à Christo in cœlum conscendente reverenter Benedictionem accipe.* Et sub Evangelio S. Joannis *pro Beneficio Incarnationis gratias age, cor tuum ad Christum excipiendum offer, lumen à Luce Mundi ad tenebras tuas dissipandas pete, rediturum suo tempore Judicem time, & gloriam ejus quasi Vnigeniti à Patre, te aliquando visurum spera.*

DE VISITATIONE Venerabilis Sacramenti.

I. *Laudabilissima consuetudo Venerabile Sacramentum subinde interdiu visitandi, præclarum est inter alia medium, magnam cum Deo familiaritatem conse-*

quendi

quend'; ut experti D. Thomas Aquinas, S. Franciscus Xaverius, S. Franciscus Borgias, B. Aloysius aliiq; Sancti quàm plurimi.

II. *Sunt quoq; hujusmodi visitationes & officiosæ salutationes, contestationes honoris & amoris erga Christum Regem amabilissimum & liberalissimum: amantes enim libenter sunt simul, libenter invicem colloquuntur, seseq; mutuò visitant. Unde si Christum ames, eum quandoq; per diem visita, alloquere, saluta, obsequia offer, necessitates propone, gratiam posce, pro beneficiis gratias age, præsertim communione postrema, & pro proximè sequente dignius adeundâ auxilium exora. Toto die Rex tuus & amicus integerrimus te exspectat, humaniterq; invitat: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. *Tuq; venire recuses? quanta inurbanitas?*

III. *Proinde si opportunitas ferat, templum adi; si occasio desit, vultum & cor ad SS. Eucharistiam dirige, & sequentes salutationes in certa diei tempora divide.*

SEPTEM

Praxis I. per Annum

SEPTEM SALUTATIONES *Vulnerati Animarum Sponsi* IESV CHRISTI.

I.

SAlve infinitè millies, ô Salvator mi Crucifixe Jesu Christe! Tu es verus ille Samaritanus [*Lucæ* 10.] & expertissimus animarum Medicus; miserere mei: ecce enim anima mea infirma & variis morbis obnoxia est: præbe ei ex salutari sacrorum quinque vulnerum tuorum apotheca, efficacem rosei sanguinis tui medicinam, ut sanitati restituatur, & ad vitam convalescat æternam. Amen. Pater noster.

II.

SAlve infinitè millies, ô Salvator mi Crucifixe Jesu Christe! Tu es Magister bonus [*Joann.* 13.] & Doctor omnis veritatis; miserere mei, ecce enim anima mea rudis est, & scientiæ sanctorum ignara: suscipe illam in sacram quinque vulnerum tuorum scholam, ut in ea studeat, & humilitatem, patientiam, obedientiam, pietatem & charitatem à te ibidem addiscat. Amen. Pater noster.

III. Sal-

III.

SAlve infinitè millies, ô Salvator mi Crucifixe Jesu Christe! Tu es facundus ille advocatus [*Joan.* 2.] & mediator apud Patrem cœlestem; miserere mei: ecce enim anima mea coram ipso legitimè accusata est: exhibe ad defensionem ejus, irrefragabiles sacrorum quinque Vulnerum tuorum probationes, ut sententiam benignam obtineat. Amen. Pater noster.

IV.

SAlve infinitè millies, ô Salvator mi Crucifixe Jesu Christe! Tu es communis Redemptor universi generis humani (1. Cor. 1.) Miserere mei: ecce enim anima mea degit sub vilissima mundi, carnis, & Diaboli servitute: redime eam paratâ sacrorum quinque vulnerum tuorum monetâ, ut ad optatam Filiorum Dei adoptivorum libertatem pervenire valeat. Amen Pater noster.

V.

SAlve infinitè millies, ô Salvator mi Crucifixe Jesu Christe; tu es generosus ille Heros & Bellidux (*Isaiæ* 55.) Ecclesiæ militantis; miserere mei: ecce enim anima

ma mea vexillo quidem tuo se subdidit; sed prorsus inermis & malè munita est: muni eam, obsecro, victoriosis sacrorum quinque vulnerum tuorum armis; ut viriliter certet, & gloriæ æternæ coronam reportet. Amen. Pater noster.

VI.

SAlve infinitè millies! ô Salvator mi Crucifixe Jesu Christe! Tu es candidus & rubicundus, electus ex millibus animarum piarum Sponsus (*Matth.* 25.) miserere mei: ecce enim anima mea tibi placere intimè desiderat; at ornatu & decore caret: orna igitur illam pretiosissimis sacrorum quinque vulnerum tuorum cimeliis, & ut sic exornata tecum in sempiternū desponsari mereatur. Amen. Pater noster.

VII.

SAlve infinitè millies ô Salvator mi Crucifixe Jesu Christe! Tu es Pastor bonus (*Joann.* 10) qui animam suam posuit pro ovibus suis; miserere mei: ecce enim anima mea velut ovicula errabunda fame perit: dignare eam in saluberrima sacrorum quinque vulnerum tuorum pascua reducere; ut benè refecta, nunquam amplius

ûs in hoc mundi deserto deficiat. A-
en. Pater noster.

SEPTEM SALUTATIONES
Filiales B. V. MARIÆ
Tanquam Matris pulchræ dilectionis
Singulis Christi Salutationibus subjungendæ.

I.

SAlve infinitè millies, ô Mater Gratiæ!
amore te complector tam cordiali, ac
Joannes Filius tuus adoptivus te com-
lexus est, cùm à Magistro suo Crucifixo
ndiit *Ecce Mater tua*, & ille te ex ea ho-
suscepit in sua. Permitte, ô Mater a-
antissima! ut ego quoque te, & tu vicis-
im me suscipias, quo ego tuus, & tu mea
ex hoc, nunc & usque in seculum. A-
en. Ave Maria.

II.

SAlve infinitè millies, ô Mater gratiæ!
amore te prosequor adeò filiali, ac Sta-
islaus servus tuus devotissimus te prose-
utus est; cùm ejus ardens amore pectus
nteolis madidis refrigerari debuit, dum
Matrem suam tenerâ devotione com-
norus nominavit. Nosti Domina, quòd
Pater meus & Mater mea dereliquerunt

me; quare ô Mater dilectissima! assume me, ac permitte, ut ego sim Filius tuus, & tu Mater mea, ex hoc nunc & usque in seculum. Amen. Ave Maria.

III.

SAlve infinitè millies, ô Mater gratiæ! amore feror in te, adeò sincero, atque Alphonsus famulus tuus fidelissimus in te latus est, dum exclamavit: ô Maria! ego te plùs diligo, quàm tu me. Ah! Mater amabilissima! ini mecum simile certamen amoris: ut ego deinceps sim tuus, & tu mea, ex hoc nunc & usque in seculum. Amen. Ave Maria.

IV.

SAlve infinitè millies, ô Mater gratiæ! tam suavi teneroque amore tui langueo atque mellifluus Encomiastes tuus Bernardus, quando tam devotè te salutavit, ut tu viciſſim eum salutare, & lacte virgineo refocillare dignata sis. Ah! Mater melliflua & asylum meum in omnibus; quo ego tuus sim, & tu solatium meum permaneas, ex hoc nunc & usque in seculum. Amen. Ave Maria.

V. Sal-

V.

SAlve infinitè millies, ô Mater gratiæ! amore in te rapior tam ferventi, atque Carolus Brigittæ familiaris tuæ Filius in te raptus fuit: dum omnia mundi tormenta subire maluit, quàm permittere ut honori tuo vel minimum decederet. Ah Mater pretiosissima! non absimili amoris tui zelo corripior: honori tuo bona, sanguinem, vitam, corpus, & omnia consecro. Tu es mea, & ego sum tuus, ex hoc nunc & usque in seculum. Amen. Ave Maria.

VI.

SAlve infinitè millies, ô Mater gratiæ! tam ardente tui amore flagro, atq; perfectus famulus tuus Arnulphus, cùm omnium Cœlitum aspectus ei non saperet, nisi & gloriam tuam videret. Ah! suavissima Mater, quid est in cœlo aut in terrâ, post Filium tuum, quod exhilarare me valeat, nisi tu sola? Tuus sum ego, & mea es tu, ô dulcis Mater! ex hoc nunc & usque in seculum. Amen. Ave Maria.

VII.

SAlve infinitè millies, o Mater gratiæ! amore te complector tam constanti, ac Bergmannus juvenis angelicus te com-

plexus est, dum te Matrem suam, vel in ipso mortis agone cecinit. Ah Mater dilectissima! ego ad ultimum usque halitum te diligam. Supremum verbum meum, sit sanctum nomen tuum, in hoc tui amore, dulci fruar sopore: sic tu dilecta mihi, & ego dilectus tibi, ero & eris in seculum. Amen. Ave Maria.

Praxis II. visitandi Venerabile Tempore Adventûs

RVmina illustriora beneficia, qualia sunt. 1. Æterna Dei dilectio & praedestinatio. 2. Creatio. 3. Conservatio. 4. Redemptio. 5. Justificatio. 6. Vocatio ad statum. 7. Glorificatio. Laudes & gratiarum actiones subjunge.

Praxis III. Tempore Nativitatis Domini.

EXpende septem Christi Domini visitationes: quarum 1. facta in Incarnatione. 2. In Visitatione S. Elisabetha. 3. In Nativitate. 4. In Purificatione. 5. In fugâ in Ægyptum. 6. In variâ praedicatione. 7. In descensu ad Limbum. Exerce virtutes Theologicas, & beneficia in hi

pre-

præstita visitationibus, tibi quoque conferri in tuis visitationibus roga. Ut supra

Praxis IV.

Tempore Septuagesimæ.

I. VEnio ad te in Templum, Rex supreme, cum Virgine Matre primogenitum suum sistente & offerente: & libertatem meam, velut primogenitam, ad omne beneplacitum tuum sisto & offero, suscipe eam in odorem suavitatis &, gratiâ tuâ perfice.

II Curro ad te, Magister optime, velut Magdalena, ut sedens ad pedes tuos, audiam quid loquatur in me Dominus: loquere, ergo, Domine, quia audit servus tuus: Domine quid me vis facere?

III. Festino ad te, cœlestis Medice, velut alter Paralyticus, qui sine ope gratiæ tuæ, nec manum nec pedem meritoriè movere valeo: Domine si vis potes me sanare.

IV. Accedo ad te, divine Archiater, tanquam Centurio Evangelicus, & cum profunda reverentia ac humilitate adoro te, & demissè obsecro, ut animam meam

tot febribus, quot concupiscentiis æstuantem refrigeres: tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea.

V. Recurro ad te, Omnipotens Thaumaturge, quemadmodum Cæcus ille Evangelicus & cum fiducia clamo: Jesu Præceptor miserere mei: nec aliud requiro, nisi ut videam mundi vanitatem, vitæ brevitatem, gloriæ & pœnæ æternitatem, propriam vilitatem, tuam sublimitatem, O noverim me, noverim te!

VI. Appropinquo ad te, ô Doctor Justitiæ! sicut Legisperitus ille, ut viam Dei in veritate me doceas, & viam veram ad vitam æternam commonstres. Quid faciendo vitam æternam possidebo? Diliges.

VII. Confugio ad te, ô Afflictorum solatium, & desolatorum asylum! & cum Cananæa clamo: Jesu Fili David miserere mei! petoque velut catellus micas, quæ cadunt de mensa Dominorum, reliquias scilicet devotionis, quas veri filii & devoti famuli tui in usu venerabilis Sacramenti degustant. O gustem & videam!

Praxis V.

Tempore Quadragesimæ.

Usui esse queunt 7. profusiones sanguinis Christi. vide pag. 222.

SEPTEM PETITIONES Orationis Dominicæ.

I. DOmine Jesu & in cœlis fulgens in gloria, & hîc in Sacramento latens velut in umbra, ut nostri debilitati consulas. Agnosco, immunditiam & peccatorum meorum multitudinem & erubesco totus. Sed tu es *Sanctificator meus*, qui me, totumque mundum in momento sanctificare vales: ah! sanctifica, secundùm sanctam voluntatem tuam me & omnes mundi incolas: ut à Solis ortu usque ad occasum sanctificetur laudabile nomen tuum.

II. Tu es *Rex Regum* potentissimus: exscinde igitur in me, meis, totoque mundo regnum carnis & diaboli, tamque latè patentem, ac maximæ orbis parti dominantem tyrannidem opprime. O adveniat Regnum tuum, suavissimum ac sanctissimum, ut velut Rex unicus & supremus ab omnibus, ut par est colaris, ameris & adoreris.

III. Tu es *Dominus Dominantium*, absolutus & independens omnium Monarcha, mi Jesu, absolutissimum in omnes & proprietatis & jurisdictionis habens Dominium. O fiat, abnegatâ nostrâ, voluntas tua sicut in cœlis ita & in terris, in me, de me, per me, per omnia & in omnibus.

IV. Tu es *Provisor universalis omnium*, mi Jesu, & pastor bonus, tu es Pastor animarum nostrarum, pasce eas verbo vitæ, & Sacramentorum virtute: pasce corpora ut sint gloriæ tuæ instrumenta: Panem nostrum quotidianum & supersubstantialem da nobis hodie.

V. Tu es *Redemptor noster* & veniæ Largitor. Ecce quot milliones horrendorum scelerum à Fidelibus & Infidelibus audacter & protervè patrantur. O parce Bonitas! ignosce, miserere; quia nesciunt quid faciunt: & dimitte nobis debita nostra, & fac ut ea lacrymis amaris eluamus.

VI. Tu es *Protector noster* mi Jesu: ecce enim innumerabilibus hostium turmis circumcingimur, adeò tamen fragiles, ut minimo tentationis vento, velut folia, commoveamur. Sed unde veniet auxili-

um

nihisi à te? assiste itaque gratiâ tuâ, & protectione defende ut nunquam tentationi succumbamus.

VII. Tu es denique *Liberator noster*, ad quem confugimus, ut à malis omnibus nos eripias. Et quidem in vita præsente, libera nos à malo culpæ lethalis, quod malũ super omne malum est: in altera vero libera nos à malo pœnæ æternæ, quod terribilium omnium terribilissimum est.

Praxis VI.

Tempore Paschali.

Recole septem Christi Domini apparitiones indicatas supra.

Praxis VII.

Tempore Pentecostes,

Christum Dominum in Templo visitans, accede ad illum jam I. tanquam ad Solem, radiisq; ejus te expone, ut illustreris

II. *Alias adi tanquam ad Ignem, ut frigidum cor tuum incalescat.*

III. *Tanquam ad Jordanem, ut cum Naamo, laveris & munderis.*

IV. *Tanquam ad Speculum Virtutum, ut defectuum maculas cognoscas & abstergas.*

V. *Tanquam ad Fontem Aquæ vivæ, ut sitim cupiditatum restinguas.*

VI. *Tanquam ad Arborem vitæ, ut vitam spiritualem conserves & sub umbra ejus requiescas.*

VII. *Tanquam ad Magnetem, ut ferreum cor tuum attrahat & sibi copulet. Et in singulis visitationibus, pro beneficio ultimæ visitationis gratias age, pro sequente, gratiam posce.*

Praxis VIII.

Post Festum SS. Trinitatis.

Templum ingressus, per fidem vivam in præsentia Christi te statue, Omnipotentiam ejus expende, & audi dicentem; Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: *ac confidenter pete ut potentiam suam in te exserat, & à septem peccatis capitalibus te liberet. Alias expende porrumper infinitam ejus Charitatem, quam non solùm demonstravit antehac degens in vita mortali; sed hodiedum ostendit in vita gloriosa, dum tamdiu te exspectat in Ara, ut petitum aliquid venias & obtineas. Pete itaque septem Virtutes, tru*

Theo-

Theologicas, & quatuor Cardinales. Ahàs paulisper rumina infinitam ejus Sapientiam, & dic: Domine tu omnia nosti: omnia nuda & aperta sunt oculis, scrutaris enim renes & corda: Obsecro quid vides in Sunamite, in anima mea?

I. *Et primò* quidem, dum mentis oculos in me conjicis, ô Jesu omniscie! quid vides? Vides me ex meipso esse umbram, imane, nihil: si enim manum tuam me tenentem laxares, mox in abyssum nihili, ex qua per te eductus sum relaberer. Quàm profundè igitur me coram te humiliare, quàm demissè de me sentire debeo?

II. Quid vides in anima mea? ô perspicacissime Benefactor! uno velut obtutu cernis beneficia omnia, à primo Creationis meæ momento, mihi exhibita, quæ sunt innumerabilia. Quas igitur grates me referre par est, quod hoc nihilum meũ sic dilexeris, extuleris, beneficiis cumulâris?

III. Quid vides in libro vitæ meæ? velut in membrana accuratissimè descripta & depicta omnia peccata mea & delicta juventutis, & provectæ ætatis, & religiosæ conversationis. O quàm confundor & erubesco!

IV. Quid vides in decursu vitæ meæ præteritæ? audio respondentem: vita tua repida est, inconstans est, jam me, jam hostem sequens. O basis & firmamentum meum, in omni bono confirma me!

V. Quid vides in phantasia mea? O Salus mea! meras chymæras. Quid in appetitu? cupiditates inordinatas. Quid in memoria? species rememorativas vanas. Quid in intellectu? speculationes infructuosas. Quid denique in voluntate? Velleitates millenas & millenas inefficaces. Ah! si vis potes me illicò emendare.

VI. Quid vides in cogitationibus meis? Vanitatem. Quid in verbis? jactantiam. Quid in factis? voluntatem propriam. Quid in oculis & auribus? curiositatem. Quid in gustu? sensualitatem. Quid in corpore? infirmitatem. Sana me, Domine & sanabor.

VII. Quid vides in morte mea? Aderit brevi; quâ horâ non putas? Tu Domine nosti annum, diem, horam, momentum obitûs mei. Tu nosti locum, morbum, modum quo extinguendus sum. Tu cognoscis, quî in judicio tuo substiturus,

quam

quam sententiam accepturus, ad quem locum alterius vitæ destinandus sim. Ah! moriatur anima mea morte Justorum, & fiant novissima mea horum similia. *Num.* 23. Cùm veneris judicare noli me condemnare.

HORA VIII.

Verbi Divini auditio.

DOminicis, festisq; diebus nunquam negligenda verbi Dei auditio: eam enim mellifluus Doctor serm. 1. in Septuages. inter prædestinationis & salutis signa numerat. Qui ex Deo est, verba Dei audit, *inquit ipsa veritas.* Joan. 8. & S. Chrysost. hom. 22. in Gen. *scribit: quemadmodum corporalis cibi appetitus indicium est bonæ valetudinis; ita desiderium spiritualis doctrinæ, manifestissimum est argumentum animæ benè habentis. Excita igitur in te orexin, si eâ careas.*

Praxis audiendi Concionem.

1. *Ante Concionem, animus à vitiis & perturbationibus expurgandus, ut tan-*

quam nitidum speculum imagines à verbo divino per Concionatorem illapsas clarè & perfectè in se recipiat. Deinde excitandum desiderium ex concione proficiendi, Deniq; implorandæ Spiritûs sancti gratia, ut mentem illuminet, voluntatem emolliat ac permoveat: ac cum Samuele dicendum, Loquere Domine, quia audit servus tuus.

II. Sub ipsâ concione, habitus corporis, vultusq; sit ad attentionem decenter compositus, oculi non vagabundi, sed ad Ecclesiasten conversi: audita non aliis, sed tibi applica, non verborum elegantiam, sed spiritum, non subtilitatem, sed veritatem require, persuasissimum habens Deum per Concionatorem loqui. Qui vos audit me audit Lucæ 10.

III. A Concione, gratias Deo age pro instructione, & pro viribus audita exequi statue. Quæ audistis cogitate, quæ manducastis ruminate: sic enim eritis animalia munda, ait S. August. Conc. 1. in Psal. 103. Exemplo B. M. V. quæ conservabat omnia verba hæc in corde suo. Beati, ait Dominus, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Lucæ 11.

Modus

Monita & Documenta Pro Concionatoribus.

I. *Lecto Evangelio, de quo concionandum, templum adi, Christumq; Eucharisticum tanquam Consiliarium optimum consule, ac demisse roga, ut inspirare dignetur, quid Auditoribus tuis utilissimum, quidve à te Populo proponendum desideret.*

II. *Ubi thema selegeris, conceptum formaveris, variaq; ad rem collegeris & distribueris; interroga te quo collineas? quid intellectui Auditorum cogitas persuadere? quem affectum excitare in voluntate? quid vis ut deinde auditor agat, aut vitet? quibusve hæc mediis assequi paras? hæc in tota compositione semper sint ante oculos posita.*

III. *Propositum tuum solidis & claris rationibus proba, quæ potissimum è sacris literis desumenda, SS. Patrum testmoniis confirmandæ & declarandæ: additis etiam causis & motivis efficacibus, similibus, parabolis, uti Christo Domino in more positum*

tum

tum, & exemplis præsertim sacræ Scripturæ. Ut intellectus Auditorum plenè convincatur, judicetq; rem ita se habere, nec posse aliter esse.

IV. Persuaso & convicto intellectu, affectus vehementes subjunge, jam amoris & prosecutionis boni, jam timoris, odii & fugæ, aliósve accommodatos materiæ, ut Auditorum voluntates ad faciendum vel omittendum inflammentur.

V. Nunquam imparatus cathedram conscende, sed omni diligentiâte addicendum para. Qui sine labore ascendit, sine honore & fructu ordinariè descendit.

VI. Materiam Auditoribus aptam & ad captum selige: ac de materiâ propositâ sæpius meditare: solet enim tunc Deus apta ad intellectum illuminandum, vel voluntatem permovendam suggerere: affectum verò in auditoribus excitandum priùs in te suscita: quod & Ciceroni aliisque antiquis Oratoribus, usitatum fuisse, cum felici successu legitur.

VII. Exhortare præcipuè ad agendam vitam homine Christiano dignam: ad vitia exstirpanda, ad virtutes inserendas, ad

Pæni-

Penitentia & Eucharistiæ frequentem & ium usum, ad opera bona, orationem, ejunium, eleemosynam, aliaq; pietatis xercitia zelosè & ferventer excita; sæ- issimè nonnihil de quatuor novissimis & ternitate intermiscens, quo nihil ad mo- um solet esse efficacius.

VIII. Stude esse instrumentum cum Deo conjunctum per puram intentionem, er familiaritatem cum Deo in oratione; & conare ipse exercere virtutes, quas ali- is commendas, & vitia exstirpare, quæ liis dissuades. Nam turpe est Doctori, ium culpare darguit ipsum.

IX. Habitus & gestus corporis sit mo- estus & gravis, vox rebus accommodata: nter docendum sedatior, inter movendum ad affectus concitatior: atq; ubi non est pus, non nimis elevetur, aut deprimatur.

X. Abstine à rumoribus, & novis pa- rum certis in concione narrandis; uti & facetiis & ludicris risum moventibus: neque minús à verborum lenociniis, ver- is affectatis, adulatoriis, & exaggeratio- ibus nimiis: ac denique à reprehensio- ibus Principum, Prælatorum, ac Magi- stra-

stratuum in particulari, nisi cautè & valde prudenter: has enim plus obesse quàm prodesse docet experientia. Tu formare poteris majorem & universalem, illi ipsi minorem & particularem subsument.

XI. *Spem omnem & fiduciam in Deo collocа, hominibus placere ne quære, vanam gloriam fuge, soli Deo honorem tribue: si fructus labori non respondeat, animum ne desponde: Deus præmium tuum metitur labore, non fructu qui ab ipso solo dependet.*

XII. *Ipso denique die vel pridie Concionis aliquod mortificationis aut pœnitentiæ opus Deo offer, pro fructu impetrando: aliquod temporis spatium orationi tribue ad spiritum excitandum: toto etiam præparationis tempore sæpe ad Christum in Eucharistiâ recurre: suspira per diem sæpius ad Deum, ad B. V. ad SS. Angelos Custodes Auditorum; gratiamq; efficaciter dicendi exora: Pete & accipies, quære & invenies, pulsa & aperietur tibi: alioquin nihil eris nisi cymbalum tinniens & æs sonans.*

HORA IX.

Monita pro administratione Sacramentorum.

I. Monita pro Baptismi administratione.

I. Si, Sacerdos, peccati gravioris sis reus confitere, vel conterere antequam baptizes, neve novum grave delictum committas.

II. Tardè, distinctè & affectuosè omnia & singula pronuntia.

III. Ceremonias omnes in Rituali praescriptas exactè observa.

IV. Patrinis officii sui partes inculca.

V. Aquam baptismalem vertici infantis tertiò infunde & in librum parochiae, Baptizati, Parentum & Patrinorum nomen referre non neglige.

II. Monita pro collatione Confirmationis ab Episcopis.

I. Hoc Sacramentum, juxta praxin Ecclesiae, non conferendum pueris ante usum rationis.

Adul-

II. Adultiores, si peccato gravioris infecti sint, priùs conscientiam expient.

III. Suscepturi hoc Sacramentum, priùs de ejusdem valore & effectibus instruantur.

IV. Adstet Patrinus, antè jam confirmatus.

V. Non negligatur, aut vilipendatur hoc Sacramentum tam efficax, tantiq; æstimatum etiam in primitiva Ecclesiâ.

III. Pro distributione S. Eucharistiæ.

Oratio ante distributionem.

PRæveni, quæsumus, Domine Deus noster & gratiâ tuâ efficace omnes dispone per me cœlesti Epulo hodie reficiendos; ut non Judæ instar, ore sacrilego, judicium sibi manducent; sed corde mundo sanctissimum Filii tui corpus suscipiant, & omnes hujus Sacramenti fructus copiosè percipiant. Per eundem D. N. J. Christum. Amen.

Inter distribuendum sacram Communionem pia suspiria elice: & quidem

I. Tempore Adventûs, roga Christum incarnatum, ut communicantes, quos vi-

at

Frater visitet, gratiâ, sanctitate, & lætitiâ spirituali repleat, quemadmodum B. V. & S. Joannem Baptistam.

II. Tempore Nativitatis ora, ut Christus natus in communicantium cordibus nascatur, eosq; velut Magister doceat, ac formet ad suam similitudinem, donis cœlestibus & divitiis spiritualibus eos ditet, veluti sanctos tres Reges & Pastores.

III. Tempore Quadragesimæ precare Christum patientem, ut corporis & sanguinis sui alexipharmaco, velut Medicus omnipotens, omnes communicantiũ morbos spirituales curet: ut Magdalenæ & Zachæi.

IV. Tempore Paschali pete ut Christus redivivus velut Sol infinitæ activitatis communicantium tenebras dispellat, & viam perfectionis ac salutis demonstret, veluti Apostolis.

V. Tempore Pentecostes roga Christum, cujus lampades, lampades ignis atq; flammarum, ut omnes communicantes à scoria peccatorum purgatos inflammet, velati primos Christianos. Aut velut carbo ignitus omnium linguas tangat, & omnia linguæ vitia consumat, velut Isaiæ.

Oratio

Oratio post distributionem.

CORpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animas vestras, ut non revertantur ad volutabrum luti, ad servitium Diaboli, ad pericula inferni; sed in omni sanctitate & justitia eas perficiat & perducat *in vitam æternam.* Amen.

IV. Monita de auditione Confessionum.

Ante Confessiones.

I. Cogita, Sacerdos, quod sis Judex, Medicus, Magister, Pastor, Pater, Janitor cœli, Minister Christi, instrumentum Dei in animabus purgandis, illuminandis & perficiendis. Hinc antequam exhomologeterium intres excita affectus profundæ humilitatis, diffidentiæ tui, fiduciæ in Deum & Christi merita, zeli honoris Dei & salutis animarum, gratiamq; divinam enixè flagita.

Oratio I.

OMnipotens sempiterne Deus, gratiâ tuâ efficace mihi assiste & protege me, ut absque omni propriæ salutis, puritatis & tranquillitatis amittendæ periculo impositum

positum Judicis munus perfectè exequar: ne mea negligentia aut culpa sanguinis Christi efficaciam impediat, aut bonitatis divinæ influxum in Pœnitentes avertat. Per eundem Christum Dominum nostrũ. Amen.

Oratio II.

DIgnare, Domine Jesu, hanc animam sanguine tuo redemptam per Sacramentum pœnitentiæ sic purgare, illuminare & perficere, ut tibi perfectè placeat. Amen.

II. Excita antè contritionem, ut redderis instrumentum aptius, ad alios in sanguine Agni dealbandos.

III. Renova subinde vivam memoriam præsentis supremi Judicis; in cujus conspectu Judicis subordinati officio fungeris: & conjunctum ministerium perfectè explere desidera.

Sub ipsa Confessione Pœnitentis.

I. Pœnitentem quemvis intuere, velut Dei imaginem, æternæ gloriæ capacem, Christi Sanguine purpuratam; ac proinde magni æstima, benignè excipe, Deo reconciliare & ad meliora promovere stude.

II. Be-

II. *Benedicens attentè precare, utrùm confiteatur, fructúsque dignos pœnitentiæ faciat; millieſque Deum ampliùs amet & glorificet, quã ante oderit aut inhonorârit.*

III. *In promptu habe motiva Contritionis, quæ opportunè proponas:* 1. *Peccatum lethale eſt infinita quadam injuria contra infinitam Majeſtatem Dei:* 2. *Eſt ſumma ingratitudo contra ſummum Benefactorẽ.* 3. *Eſt graviſſima contumelia pretioſo Sanguini Chriſti pro te effuſo illata.* 4. *Eſt jactura æternæ felicitatis, animæ, cœli, Dei.* 5. *Eſt turpiſſima macula & fœditas animæ, quæ diabolo ſimilem reddet; horrorémque cauſat in hora mortis.* 6. *Hác culpâ peccator meretur ut in ipſo flagranti crimine, cum fulmine & tonitru, inſtar Luciferi præcipitetur in infernum.* 7. *Reum facit peccatorem carceris infernalis, caliginis terribilis, ſitis & famis incredibilis, ignis inextinguibilis, vermis conſcientiæ immortalis, fœtoris intolerabilis, deſperationis ineffabilis; & denique totius æternitatis infelicis & interminabilis.*

IV. *Elice contritionem, præſertim cum pueris & rudibus, quærendo, utrum non*

doleant

doleant ex intimo corde, quod Deum tam bonum, infinitè amabilem offenderint, qui vos creavit, redemit, in sanguine suo lavit, conservavit, & gloriâ æternâ coronare paratus est. An non seriò velint omnia & singula peccata emendare & millies mortem oppetere potiùs, quàm Deum denuò offendere.

V. Sub absolutione magno affectu charitatis, zeli, fiduciæ, commiserationis, à Deo veniam, misericordiam, gratiam ante: & ut defectus pœnitentium per merita Christi, B. V. & SS. suppleantur. Abeunti benè precare: vade in pace & jam amplius noli peccare.

VI. Brevem interrogandi methodum in promptu habe; uti & exempla contra singulas peccatorum species, loca scripturæ, facta sanctorum, remedia salutaria peccatorum, quæ opportunè pœnitenti proponas.

VII. Erga feminas pœnitentes, paternam potiùs & spiritualem gravitatem præ se fer, quàm familiaritatem: de rebus ad confessionem non spectantibus, non loquere. Frequentiùs confitentes breviter expedi, ocu-

los custodi, mutuum aspectum fuge, ut liberiùs confiteantur.

VIII. Ob stupiditatem vel importunitatem pœnitentium, nullum tædii aut impatientiæ signum ostende, & gestibus manuum abstine.

IX. Tentatis, maximâ quâ potes charitate opem fer; scrupulosos instrue, in proximâ peccandi occasione constitutis prudentia monita & media præscribe. Restitutionem, si fieri potest urge. Verecundas, præsertim sequioris sexûs, personas magnâ dexteritate adjuva, inchoando à levioribus, cogitationibus, verbis &c.

X. In pœnitentiis injungendis noli esse vel nimis laxus vel nimis rigidus, ne aut peccata gravia vilipendant, aut à Sacramentis absterreantur. Sequi licet Cajetani consilium V. Satisfactio: pœnitenti benè præparato & robusti animi, satisfactio, quam meretur imponenda est: debiliter autem dispositis danda est satisfactio parvula, juxta debilitatem animi sui, ut parvitas ignis fundetur appositâ paleâ, ne suffocetur appositis lignis magnis desuper. Arripere etiam quandoque licebit documentum

untum Gersonis p. 2. ope. in regul. moral. itiùs est cum parva pœnitentia, quæ nte suscipitur, & verisimiliter adim- tur, ducere confessos ad purgatorium; iàm cum magna non implenda, præci- are in infernum.

Post Confessiones auditas.

1. *Examinate, & de admissis defecti- stuis dole.* 2. *Pro collata pœnitentibus atia, gratias age & nova gratiæ auxilia oste per merita Christi, B. V. SS. gelorum Custodum.* 3. *Humilitatem rce, memor sententiæ S. Augustini: non eccatum quod fecerit homo, quod non eret alter homo, nisi præservaretur ab , àquo factus est homo.* 4. *Conare om- um auditorum oblivisci.* 5. *Secretum acissimè serva, nec in genere quidem anditis in confessione loquere nisi sum- cum circumspectione.*

De Administratione extremæ Unctionis.

1. *Rogari subinde potest infirmus, num quod gravet adhuc conscientiam, & quo non ausit subire vultum Judicis,*

viamq; inire æternitatis, v.g. in materia justitiæ, inimicitiæ, Confessionis integræ.

II. Excitandus infirmus ad fiduciam magnam, resignationem omnimodam, desiderium patriæ cœlestis, Charitatem Dei.

III. Tradat & relinquat ei Crucifixum, ut cum eo, sepositis aliis se occupet.

IV. Conetur adesse morienti, si possit, & ferventer oret moribundoq; assistat contra dæmonem calcaneo insidiantem. Serviet ad hoc commendatio Animæ, aliæq; preces ex Libellis precum.

V. In morbo periculoso, vel quando infirmus non putatur supervicturus, sufficit inungi unam partem. Pueris etiam, post septennium, juxta Laymann, danda extrema Unctio.

Oratio post Inunctionem.

COmmendo tibi, amantissime Jesu hunc infirmum jam inunctum, in sanctissima tua quinque Vulnera, ut eum in protectionem tuam suscipias, ab hostium insidiis defendas, & omnia tam corpori quàm animæ profutura concedas.

VI. De Collatione Sacrorum Ordinum ab Episcopo.

I. *Inquirendum in vitam anteactam Ordinandorum, ne ad summam hanc dignitatem evehantur indigni, qui scandala postmodum populo præbeant: unde monet Apostolus:* Manus citò nemini imposueris 1 Tim. 5. *Quid est citò manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ Sacerdotalem honorem non probatis tribuere? inquit S. Leo* Epist. 87.

II. *Interstitia servanda, nisi obstet necessitas, ut Ordines majores singulos priùs aliquamdiu exerceant, & paulatim ad Sacerdotii dignitatem se præparent, juxta Concilii Tridentini præscriptum, & Ecclesiæ antiquæ consuetudinem.*

III. *Ceremonias exactè priùs addiscant, orationes memoriæ mandent:* Custodi præcepta & ceremonias, quæ ego mando tibi. Deut. 7. *Defectus enim initio adhærentes, in habitum pravum transeunt, & ita vitâ sæpe non deponuntur teste experientiâ.*

IV. *Octiduanis S. Ignatii exercitijs animum vel ad Sacerdotium, vel ad primitias ritè comparent, atq; in iis* 1. *Exhomologesi totius vitæ animum expient, ut mundiores accedant ad tremenda mysteria.* 2. *Horrorem ingentem peccatorum, Sacerdotem præsertim dedecentium, concipiant.* 3. *Desiderium virtutum & spiritum Christi imbibant.* 4. *Ordinem diei sibi præscribant, ne more secularium multorum inordinatè viventium, plurimùm pretiosissimi temporis dilapident.* 5. *Denique juxta lumina, affectus, & decreta in exercitijs illis adeò efficacibus ad morum mutationem, facta; relictâ vitâ vulgari & profanâ, vitam spiritualem, sanctam, Angelicam & eminentiâ sacerdotali dignam auspicentur.*

V. *Inculcandum Neomystis, ut templa, Altaria, Calices ceteraq; paramenta semper munda servent: quanta enim indecentia est, templa Altissimi sordibus obsolescere, altaria pulvere obseri, ornamenta abjecta & arrosa, corporalia & purificatoria ita maculosa & immunda adhiberi, ut nauseam moveant intuenti? Hæccine Ma-*

jestatem

statem Christi infinitam, summiq; Monarchæ supellectilem decent?

VII. De assistentia Parochi in Matrimonii aditu.

I. ADmone Sponsos, ut paulò ante conscientiæ labes expient, ne forte cum hic peccati hoc Sacramentum suscipient, propriâ ejusdem gratiâ se spolient.

II. Excita eos ad puram intentionem: ut conjugem accipiant in timore Domini, amore filiorum & auxilii mutui ad æternam salutem magis, quàm libidine ducti; & super illos, ut in maritos Sathanæ potestatem obtineat dæmonium.

III. Hortare ut amore non naturali, carnali vel brutali; sed charitate supernaturali, spirituali & Christianâ se complectantur, quemadmodum Christus Ecclesiam.

IV. Exhortare ad fidem servandam & sacræ matrimonii cum charitate & patientiâ mutuâ supportandæ, donec mors eos separaret.

V. Matrimonium Heterodoxi cum Orthodoxa vel contrà, quantùm possibile est, dissuade, ob plurima incommoda, & maximè ob periculum perversionis in prolibus,

quibus omnino prospiciendum, si aliter fieri nequeat.

HORA X.

De Studio & Lectione Sacerdotum.

OBserva I. Peractis manè divinis officiis, nisi cura pastoralis ad alia vocet, horam præcedentem cum hac studiis & disciplinis statui tuo convenientibus impende; ne otio diffluas, & pretiosum tempus inutiliter teras.

Observa II. Si Parochi aut Ecclesiastæ munere fungeris, concioni proximè habendæ vel doctrinæ Christianæ populo clarè & fructuosè proponendæ operam navaturus, tende lectioni, exhortationi, doctrinæ; monet Apostolus 1. Tim. 4. Si pro sacro tribunali Arbiter es constitutus, Theologiam moralem pervolve; ut pœnitentes in viam salutis dirigere nôris. Si Professoris officio admotus, studiis tibi assignatis tede; si Professorem Discipulus audias, ut probè discas, traditáque percipias, allabora.

Observa III. Si verò curâ parochiali liber Canonicatu aut Vicariatu gaudeas; ne tamen tempus otio, sed utili, piâ, amœ-

naq; lectione transigas. Quando legis Deus tibi loquitur, quando oras, cum Deo loqueris, ais S. Augustinus in psalm. 85. Hinc Clericos hortatur S. Ambrosius L. 1. off. cap. 20. Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum audias? illum alloquimur cùm oramus, illum audimus, cùm divina legimus oracula. Quid nobis cum alienis domibus?

Praxis studendi.

I. Studia & lectionem auspicare, non ex amore propriæ existimationis, curiositatis, delectationis, naturalis propensionis aut lucri temporalis: sed purissimâ intentione gloriæ divinæ, ac salutis, perfectionisq; propriæ & alienæ.

II. Diffide tibi, confide Deo, & per Christi merita ac Sanctorum patrocinia, gratiam proficiendi postula.

Oratio ante Sudia.

I. Ad Deum Patrem.

OMnipotens sempiterne Deus, Pater luminis, desidero nomen tuum manifestare hominibus, eosque ad cognitio-

nem, amorem, & laudem tuam dirigere: sed novi impotentiam meam, & omnipotentiam tuam; hinc adstringo me tibi, & incapacitatem meam, capacitati tuæ infinitæ conjungo, per Jesu & Mariæ merita supplicans, ut lumen & gratiam mihi concedas, ea concipiendi, scribendi & faciendi, quæ ad gloriam tuam & animarum salutem maximè conducant.

II. Ad Filium Dei.

DOmine Jesu Christe, fons inexhauste omnis Sapientiæ: tu inventor es omnium; tu scis quidquid sciri potest; tu nosti omnes tum naturæ tum gratiæ industrias: quare per infinitam Sapientiam tuam obtestor te, ignorantiam meam doce, tenebras dispelle; intellectum illumina, voluntatem inflamma, ut cognoscam, scribam, faciam maximè ad laudem tuam & animarum salutem profutura.

III. Ad Spiritum Sanctum.

DA mihi Domine, sedium tuarum assistricem Sapientiam, mitte illam de cœlis sanctis tuis & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te Domine Deus;

sensum

sensum enim tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis?

Deus qui corda fidelium, &c.

Tot tibi sint laudes Jesu, quot grammata scribo vel lego.

III. Spiritum cum literis, virtutem cum scientia non solùm conjunge, verùm etiam antepone; ideoq; devotionis exercitiis primum locum, tempusq; optimum assigna: nam Scientia quæ pro virtute desipitur, per virtutem postmodum melius invenitur: ut ait S. Bonaventura.

IV. Duo extrema cave: nimirum primò propensionem nimiam ad studia, & inordinatum excellendi appetitum, cum dispendio virtutis, devotionis & sanitatis, deinde nimiam quoq; & indiscretam propensionem ad pietatis exercitia, cum detrimento studiorum: virtus enim & scientia gemina alæ sunt, quibus vir Apostolico & animarum zelatori volandum ad prædicandum & laborandum pro gloria Dei: sunt veluti luminare majus & luminare minus ad mundum diu, noctu q; illustrandum: sunt vestes duplices, quibus

à muliere forti, Præsidibus scilicet & Pastoribus, domestici Ecclesiæ muniendi, contra frigus malitiæ & ignorantiæ.

V. Inter studendum mentem subinde ad Deum eleva, intentionemq; renova. Finitis verò studiis, successum breviter examina, de defectibus dole, de felici successu Deo gratias age, ejusq; gratiæ adscribe: conatum tuum per B. V. S. Angelum C. cæterósque Patronos Christo Domino offer, gratiam ultiorem exposce; ac deniq; conclude: Tot tibi sint laudes Jesu, quot grammata legi, vel scripsi.

VI. Quanta sit studii & lectionis utilitas expertus Eunuchus Act. 8. *Isaiam in curru legens & in itinere à Philippo baptizatus ac fide christianâ imbutus. Expertus S. Augustinus* L. 8. Confess. *vocem audiens: Tolle, lege, tolle lege: legit: Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, & per lectionem ad morum emendationem animatus est. Expertus est S. Ignatius qui legendo vitas Sanctorum è milite mundi, Athleta Christi evasit. Taceo innumeros alios. De antiquissimo illo scriptore Origene*

gene Presbytero [qui nomen Adamantius ob nunquam fatigabilem in scribendo, legendóque naturam, ab invincibili adamante invenit] refert S. Hieron Epist. 18. ad Marcellam: eum nunquam cibum sine lectione sumpsisse, nunquam iniisse somnum, nisi unus ex Fratribus sacris literis personaret, hoc diebus egisse & noctibus, ut & lectio orationem exciperet & oratio lectionem. Quid nos ventris animalia tale unquam fecimus? quos si vel secunda hora legentes invenerit, oscitamus, & manu faciem defricantes continemus stomachum; & quasi post multum laborem, mundialibus rursum negotiis occupamur. Prætermitto prandia, quibus mens onerata premitur: pudet dicere frequentiam salutandi, quâ aut ipsi ad alios pergimus, aut ad nos venientes ceteros exspectamus; deinde itur in verba; sermo teritur; lacerantur absentes; vita aliena describitur, & mordentes invicem, consumimur ab invicem. Hæc S. Hieronymus. Quæ utinam in nullo Clericorum Religiosorúmve hodiedum reperirentur!

VII. Si quæris Clerice, quales tibi libri legendi? Respondeo

I. Cum Salvatore nostro: Scrutamini Scripturas Joan. 5. *quod confirmat D. Hieronymus epist. 2. ad Neopot. c. 8. Divinas scripturas sæpius lege; imò nunquam de manibus tuis sacra deponatur lectio: disce, quæ doceas. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis Nam ut scribit Apostolus 2. Tim. 3.* Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum (*quæ salutaria, quæ noxia*) ad arguendum (*errorem falsitatem, hæresin*) ad corrigendum (*malè dicta, facta, cogitata*) *ad erudiendum in justitia* (*fidei & operis*) ut perfectus sit homo Dei (*divino obsequio devotus*) ad omne opus bonum instructus (*ad se aliosq; juvandos*) *Si hoc, inquit S. Chrysostomus in hunc locum, Timotheo ita scribit Apostolus quantò magis nobis dicta putare debemus. Indies igitur aliquid lege: si indies manè unum vesperi alterum caput è codice sacro legeris, biennio tota Biblia facilè absolveris.*

Respondeo 2. Pervolve Scriptura sacra Interpretes, Hugonem Cardinalem,

Cor-

Cornelium à Lapide, Tirinum, aliósque: Christus enim, non solùm dixit, Legite, sed scrutamini, ut sensum legitimum, & genuinam significationem reperiatis. In primis verò stude ut psalmos indies cantandos vel recitandos clariùs intelligas, intellectósque majore devotione, nec psittacorum more pronunties: Lege eorundem Interpretes S. Augustinum, Bellarminum, Le Blanc & alios.

Respondeo 3. Perlege 1. Decreta Pontificum, Conciliorum, Canonum. 2. Casus Conscientiæ, aliósve libros Theologicos. 3. Libros de honesta Clericorum vita 4. Asceticos varios de Perfectione, de fuga vitiorum, de virtutum studio, 5. Historicos sacros, Saliani annales veteris Testamenti, Baronii novi Testamenti, Eusebii, &c. Item Sanctorum, aliorumq; virorum virtute illustrium res gestas continuntes ut Surium, Bolandum, Ribadeneiram &c. Hac ratione tempus optimè falles, animúmque otiosis, vanis, impuris cogitationibus liberum sanctis cogitationibus atque affectibus replebis, & cor ad imitationem Sanctorum inflammabis.

Respons.

Respondeo 4. Libros hæresi vel lasciviâ aspersos, suspectos, prohibitos, velut fontes immundos bibere recusa: sed tantùm eos tractatus assume legendos, quorum fides & puritas nota est: non necesse habes aurum in luto quærere, cùm tanta prostet præstantissimorum voluminum copia. Imòne quidem profanos ac politicos à statu tuo alienos, & manibus consecratis indignos, lectione dignare; ne vel tantillum temporis pretiosi, minùs fructuosè elabatur.

Ante omnia autem Dies Dominicos ac festivos studiosâ pietate, pióque studio transige: convivia, symposia, secularia negotia gnaviter remove; ut tanto melius hoc Deo debitum tempus colloces, vaces, & videas quàm suavis sit Dominus. Observa diem sabbathi, monet S. Augustinus, non carnaliter ut Judæi, qui otio abutebantur ad nequitias: melius enim utique totâ die foderent, quàm totâ die saltarent. Conc. 1. *in Psal* 32. *Finis enim horum festorum dierum & fructus est.* 1. *Fidei & lætitiæ spirituale augmentum.* 2. *Conscientiæ emaculatio.* 3. *Bonorum operum exercitatio.*

4. *Sacrificii oblatio.* 5. *Beneficiorum Divinorum commemoratio & gratiarum actio.* 6. *Sanctorum deprecationis pro nobis, impetratio.* 7. *Eorundem vitæ lectio, vel auditio, imitatio & meritorum communicatio.*

Quadrante ante prandium conscientiam examina; & quomodo pomeridianum tempus transactum discute, ut pomeridianum decurras sanctius.

Attendite, ne forte graventur corda veſtra

HORA

HORA XI.

Prandium.

Agenda ante Prandium.

Vt cum gustu spirituali & meritorum incremento corpus reficias: mensam spiritualem hîc tibi sterno: cui ternos missus infero triplici perfectionis via respondentes, singulos quinis ferculis mysticis instructos. Ex his indies ante prandium & cœnam nonnihil deliba, prægusta, & rumina, & cibos corporis etiam insipidos instar aromatum & condimentorum dulcorabit.

MISSUS I.

Promulsides & prægustus mystici.

I.

Considera te ob peccata tua innumera indignum esse vel ipso pane Filiorum, qui toties te abjeciſti ad siliquas porcorum: si enim famuli Herum gravius offendentes pane & aquâ mulctantur; quid tu Herum non mortalem sed immortalem toties offendens te meruisse censes? Agnosce, nunquam quærere, vilioribus acquiesce.

II. *Ex-*

II.

Expende famem & sitim Animarum igni purganti addictarum, quam inter ceteras causas, etiam ob violatas temperantiæ leges perpetiuntur. Item sitim & famem intolerabilem damnatorum, præsertim divitis Epulonis, qui ad linguæ æstum mitigandum, totâ æternitate nec aquæ guttulam obtinebit. Cave à crapula & ebrietate ac epulis nimis splendidis, ne similia promereâre.

III.

Cogita quem cibum, potumq; damnati in inferno commessationibus & ebrietatibus suis meriti sint: non alium sanè, nisi picem & sulphur; venenum aspidum & fel draconum, calicem iræ & furoris Dei. Quoties hæc & tu promeruisti; ô si probè agnosceres! quàm firmiter victum licet tenuissimum, meritum tuum excedere, crederes?

IV.

Dispice, quàm miser sit animæ status; quæ cibo spirituali Sacramentorum, precum, virtutum, & gratiæ Dei privatur: ac fame quodammodo enecatur; quemad-

modum

modum equi strigosi, aut hominis emaciati corpus fame contabescit. Pasce tu crebrò animam cibo spirituali, ne cum David queraris: aruit cor meum quia oblitus sum comedere panem meum. Et pudeat te majorem hactenus gessisse curam corporis, quàm animæ millies corpore nobilioris.

V.

Quàm frugaliter ac temperanter comedisse & bibisse te optabis sub horam mortis & judicii particularis; quando de omni sensualitate, superfluitate & prodigalitate rationem strictissimam Deo redditurus es? Quid respondebis diabolo tot millenos bolos, tot millenos scyphos superfluos, imò sanitati noxios te absumpsisse arguenti? ex quibus tot eleemosynas, si parciùs vixisses, erogare potuisses? Time, ac deinceps necessitatem, non sensualitatem specta.

MISSUS II.

Continens V. fercula mystica.

I. Exemplum Christi.

Propone tibi modestiam, temperantiam, gravitatem, mores, gestus, verba, colloquia, documenta Christi Domini comedentis

dentis, qui bibere & comedere dignatus est ut nobis exemplum præberet: & quia varietas in spiritualibus æquè ac corporalibus cibis delectat; jam intuere eum cum B. Virgine & S. Ioseph cibum sumentem; jam in deserto Angelis ministrantibus; jam in convivio Canæ; jam apud Matthæum, Zachæum, Simonem, Martham prandentem, aut cum Apostolis ultimùm cœnantem; & sanctos imitare mores, refectionem cum illius meritoriè conjunge.

II. Exemplum Sanctorum.

Aspice exempla Sanctorum, non tantùm Eremitarum, Pauli, Antonii, &c. sed & aliorum in omni statu & gradu; quàm modicè vixerunt? quàm rigidè jejunârunt? quot adinventiones gulam mortificandi excogitârunt? Omnes propè vitæ Sanctorum hæc testantur: & tamen vitam longævam, sanamq; duxerunt. Vixit S. Antonius annos 105. *S. Paulus primus Eremita* 115. *S. Jacobus Eremita* 104. *S. Arsenius* 120. *S. Simeon Stylites* 109. *S. Romualdus* 120. *S. Udalricus Episcopus* 105. *S. Epiphanius* 115. *innumeros alios utriusque sexûs, tenui victu & multis je-*

junii

juniis vitam ad 70. 80 90. annos protrahentes. Partim mirare, partim imitare. Qui abstinens est adjiciet vitam. Eccli. 37.

III. Escarum vilitas.

Expende quàm vile abjectumq; sit, edere & bibere, quod hominibus cum brutis & vermibus commune est: & quid comedimus? herbas & fructus ex terra, ejusq; pinguedine provenientes: deinde ferarũ, volucrum & piscium cadavera, quæ in corporibus nostris velut tumulis sepeliuntur, atq; in sordes & simũ convertuntur. Confunde, humiliare, & operare cibũ non qui perit, sed qui permanet in vitam æternã Joan. 6

IV. Pauperum necessitas.

Vide indigentiam innumerabilium mortalium, qui te longè innocentiores, Deoque gratiores sunt, & qui escas, quas tu nauseas, delicias reputarent; aut micas de mensa tua cadentes, ac bolos canibus projectos cum gratiarum actione reciperent. Agnosce sensualitatem tuam & corrige.

V. Memoria fellis & aceti.

Intinge buccellam tuam in aceto Ruth. c. 2. Id est, ante sumptionem cibi & potûs, vel sub ea recordare fellis & aceti,

ac

ac myrrhæ Domini tui, quibus in monte Calvariæ ad abolendos sensualitatis tuæ defectus refocillatus est. Tinctura hæc adhibita, cibos etiam insipidos dulcorabit super mel & favum.

MISSUS III.

Bellaria Mystica.

I. Providentiæ Divinæ Consideratio.

Quàm paternè Divina Providentia tibi ab ineunte ætate providit, atq; etiamnum providet, non tantùm de necessariis, verùm etiam de deliciis, veluti sollicitus atq; tui amantissimus Pater. Gratias age, redama, donisq; ejus non abutere.

II. Divina Liberalitas.

Quanta liberalitas Deo O. M. qui tot centena millia herbarum, plantarum, arborum, fructuum cum tanta varietate producit: item tot centena millia animantium, volucrum, piscium, quos omnes cibo conveniente alit, ut tibi, aliisq; hominibus in sustentationem cedant; quorum tot milliones magnus ille Paterfamilias indies pascit: Oculi omnium in te sperant, Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno. Psal. 144. *Gratias age, & tantæ Conditoris liberalitatem lauda.* III.

III. Beneficentia Dei.

Quanta elucet Dei beneficentia in homine sustentando! quot enim beneficia in quovis panis bolo, vel cerevisiæ, vinive haustu latent? quoties Divina Bonitas super eum solem suum oriri fecit? quoties frumentum & vinum, ut crescerent, pluviâ rigavit? quàm benignè ac providè homines subordinavit, qui frumentum sererent, meterent, triturarent, molerent, pinserent &c. vitem plantarent, pastinarent, foderent, uvas colligerent, vinum exprimerent, reconderent, adveherent, omnibus vitam & vires communicando? Gratias age; & redama: nec pro tot benefactis, malefacta rependе.

IV. Potentia Dei.

Quanta resplendet Dei potentia in productione frumentorum, & arborum; in quarum prodigia & miracula quotidiana sunt, admirationem non habent: dum frumenti grana terræ commissa, mortua & putrefacta, quodammodo resuscitat & multiplicat; iisdemq; tot hominum milliones sine labore pascit: quæ sanè, teste S. Augustino, miracula majora sunt, quam quòd

quinque panibus, quinque hominum millia olim paverit. Admirare & gratias age.

V. Cibus Cœlitum.

Quanta denique est excellentia & nobilitas cibi Electorum in cœlesti patria? Cibus hic verè angelicus, cœlestis & divinus, omnem dulcedinem & saporem suavitatis in se continet; omne manna longissimè superat; nunquam tadium parit: sed quò plus comeditur, plus appetitur & esuritur. O verè beatus qui manducabit panem in regno Dei, ubi Filius Hominis transiens ministrabit! Ad hunc cibum aspira, illi inhia, & à terrenis filiquis affectum abstrahe.

Observanda tempore Mensæ.

Mensam aditurus velut mendicus ante januam magni Patrisfamilias sta demissis oculis, plicatis manibus, mentem cœlum elevatâ, debitâ cum reverentia attentione, & pietate, absq; indecorafestinatione, consuetam è Breviario Romano benedictionem præmitte & leges duodecim sequentes legibus duodecim Tabularum apud Romanos longè præstantiores observa.

L.

Lex I. posita à Christo ~~Domino~~
Lucæ 14.

CUm invitatus fueris ad mensam, recumbe in novissimo loco. *Quare semper inferiorem locum, vel reipsa, vel si hoc non liceat, saltem affectu & desiderio: Omnis enim qui se humiliat, exaltabitur; si non in tempore, saltem in æternitate.*

Lex II. data à S. Paulo 1. Cor. 10.

SIve manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite. *Ad cibum sumendum non velut jumenta ad fœnum & avenam ex sensualitate aut appetitu naturali accede, sed corporis refectionem ad unius Conditoris gloriam refer; ut scilicet Deum honores, ejus beneplacitum quæras, ei obedientiam præstes; vires corporis ad ejus obsequium & propriæ alienæq; salutis studium instaures & conserves Hinc postquam consedisti, priusquam mappulam explices, cum Jobo, antequam comedas suspira; breviterq; intentionem renova, dicendo:* Mi Jesu, quot micas comedo, quot guttas bibo, toties ex animo te laudo & benedico: vel: Quidquid sanguinis ex hac refectione acquiro, id omne amore tui profundere desidero.

Lex III. Lata à S. Petro. 1. Ep. c. 5.

FRatres sobrii estote & vigilate. *Estote sobrii ut Christianos, & vel maximè Sacerdotes decet; quos non modò supra bruta, verùm etiam supra alios homines elevavit Deus: quò quis enim plus se dedit cibo & potui, eò brutis, quò minùs & parciùs, eò Angelis cibo non egentibus evadit similior. Itaq;* Vigilate *atque ad vos ipsos attendite, toto mensæ tempore, atque in omnibus ferculis & scyphis, ne temperantiæ leges transgrediamini, & vel gestibus & verbis, vel crapulâ & ebrietate Deum offendatis:* Quia Diabolus [*gastrimargiæ*] circuit [*præsertim tempore mensæ*] tanquam leo rugiens (*pro fame*) quærens (*in primis Sacerdotem tanquam bolum delicatiorem*) quem devoret: cui resistite fortes in fide, *charitate & temperantia.*

Lex IV. Condita ab Ecclesiastico. c. 4.

FIli conserva tempus. *Id est* 1. *Statuto & convenienti tempore cibum sume; & extra tempus sine peculiari causa ne comede aut bibe. Pueri & pecora edunt ac bibunt, quoties lubet: tu verò Sacerdos perfectio-*

fectionis studiosus, tempus constanter observa, quod semel tibi præfixeris. 2. Conserva tempus, non nimium temporis, non multas horas comestioni superfluæ impende: tempus enim sic inutiliter teritur; opera pia negliguntur, sanitas læditur, morbi accersuntur, mors acceleratur: præsertim in cœna: ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis; nimia saturitas divitis non sinit eum dormire quietè. 3. Observa etiam locum: si quis esurit, domi manducet, loco consueto, non in templo, non foris. Semper ad commune refectorium vadas, suadet Thomas de Kempis lib. 1. de discipl. claustr. c. 6. 4. Fuge, quantum potes convivia secularium, præsertim præsente altero sexu, eáq; nonnisi perrarò, justáq; de causa adi: ita viri sancti & prudentissimi suadent. S. Hieron. Ep. 2. ad Nepot. Consolatores potiùs nos in mœroribus suis, quàm convivas in prosperis noverint.

Lex V. Præscripta à Christo Domino Lucæ 21.

ATtenditevobis, ne fortè graventur corda vestra crapulâ & ebrietate. *Ne nimiâ cibi & potûs quantitate & varietate*

corpus graves, sanitati noceas, mentis alacritatem hebetes, téque ad exequendum munus tuum inhabilem reddas: nam ex hac cibi, potûsq; intemperantia ac redundantia, oritur stupor, languor, tedium, somnolentia, scurrilitas, loquacitas, dissolutio, immunditia, contentio, omnium virtutum destructio, humorum noxiorum colluvies, omnium morborum series, ipsa denique mors acceleratur. Plures occidit gula, quàm gladius. Ne igitur ad plenam satietatem comedas sed cum quodam adhuc appetitu surgas; & cum S. Augustino, ad alimenta, tanquam ad medicamenta accedas, de quibus non plus, quàm necesse sit, à prudente sumitur.

Lex VI. à Deo lata Gen. 4. v. 7.

SUb te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. *Non sequere appetitum tuum, ut illi, quorum Deus venter est: sed vince & mortifica appetitum edendi & bibendi; ut non dominetur tibi; sed tu illius prolibitu frœnum injice. Cave quoque nimis delicata sectaris, nec communibus acquiescas; sed potiùs amore Christi communia & viliora elige. Cave etiam (ut*

docet

docet S. Gregor.) ne voluptatis illecebra, quæ in via edendi furtivè adjuncta sæpe subsequitur, & nonnunquam præire conatur, te à præfixo scopo divinæ gloriæ abducat, aut ultra necessitatis metas abripiat: si enim S. Augustinus & alii viri sancti quotidie contra hanc concupiscentiam certârunt, quantò magis tibi adeò fragili & sensuali certandum erit?

Lex VII. Data est ab Ecclesiastico c. 37. ℣ 32.

NOli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam. Inordinatum in quovis etiam vili edulio æstum & aviditatem nimiam cohibe: nec ita animum effunde patinisq; immerge, ut vel lecta super mensam non auscultes, vel mentem subinde ad Deum non eleves. Nec plura aut sumptuosiora fercula cura aut appete, quàm status tuus requirat; ne eleemosynas pauperibus debitas ventri tuo & carni inutiliter impendas, tibique ipsi noceas: nam in multis escis non deerit infirmitas; Propter crapulam multi perierunt.

Lex VIII. ab Apostolo promulgata.

Ephes. 5. 18.

NOlite inebriari vino, in quo est luxuria. *Cùm angelica castitas Sacerdotem unicè deceat; & luxuria eum vel maximè deturpet: omnem in primis occasionem vitare necesse est: ex ebrietate enim accenditur libido, ut oleo affuso flamma. Unde fuge ebrietatem ut pestem, nec alium ad ebrietatem induc: licet enim honestas exigat, subinde hospitem aut convivam suaviter invitare ut comedat, bibátve ad ostendendam benevolentiam: illi tamen libertas omnis relinquenda est, nec unquam ad haustus æquales, sanitatesq; epotandas provocandus, multò minùs cogendus. Pessimus hic abusus sanitati nocet, temperantiam violat, Deo displicet: & sanè si de omni verbo otioso rationem exiget Deus, quantò magis de vitio otioso, superfluo, imò noxio? quid pluris est, verbum an vitium?*

Lex IX. à Salomone edicta

Proverb. 23. ℣. 2.

STatue cultrum in guttere tuo. I. *Cultrum mortificationis, ut nec in quanti-*

tate

tate, nec in qualitate, nec in tempore, nec in modo rectæ rationis præscriptum excedas. 2. In qualibet refectione ternos mortificationis actus SS. Trinitati offer, aut Christo Domino, B. Virgini & S. Angelo C. vel quinos sanctis Christi vulneribus consecra, modicum quid, palato magis arridens, sensualitati subtrahendo, aut vilioraeligendo, &c. 3. Statue etiam cultrum in lingua tua, ne sensualitatem prodas, cibos & condimenta nimiùm laudando, nec contra malè præparatos murmurando; nemini detrahendo, carpendo, contemnendo; loquere ea quæ Sacerdotem decent.

Lex X. à S. Paulo data ad Phil 4. ℣. 5.

MOdestia vestra nota sit omnibus hominibus. *Præcipuè super mensam in edendo, bibendoq; modestiam, decentiam, civilitatem serva; indecori nihil admitte, oculos, manus, linguam, sensus omnes custodi, ut nemini offendiculo, omnibus ædificationi existas: quemadmodum enim nobiles benè educati è moribus & liberali agendi modo à rusticis facilè discernuntur, ita & Sacerdotes à Laicis modestiâ,*

& morum gravitate distingui oportet. Et quomodo Angelus quispiam aut Sanctus è cœlo ad nos redux comederet, ita & tibi, ô Sacerdos! comedendum, qui sanctus & Angelus Domini exercituum es. Malach. 2. v. 7.

Lex XI. ab Apostolo eodem commendata Hebr. 13. v. 2.

HOspitalitatem nolite oblivisci. Hanc Christus Dominus noster Luc. 14. explicat: Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne fortè te & ipsi reinvitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos & cœcos; & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. Namut S. Ambrosius docet: esse hospitalem erga eos, qui remunerari possunt, est signum avaritiæ; sed erga egenos esse liberalem, est actus charitatis. Quàm multi dictam legem negligunt! tu saltem aliquid è cibo meliore pauperi aut infirmo submitte. Si non pavisti, occidisti, inquit idem Sanctus Ambrosius. S. Gregorius

rius M. indies duodecim pauperes mensæ adhibebat. S. Ludovicus Galliæ Rex 120. S. Hedvvigis & S. Elisabeth 900. S Bernvvard. Episc. Hildes. 100. Vide ut vell in uno saltem Christum pascas.

Lex XIII. à Davide proposita.

Psalm. 67. ℣. 4.

Justi epulentur & exultent in conspectu Dei. *Inter epulandum Deum præsentem, respectantem, observantem verba, gestus, bolos; & haustus omnes numerantem ob oculos pone, & non facilè excessum committes. In facie prandeatur Authoris, monet S. Chrysostomus. Atq; hoc est medium efficax ad leges præfectas ad amussim servandas. Hujus verò Dei præsentiæ refricabit memoriam sacra lectio, vel scripturæ divinæ, vel alterius pii Authoris; ut dum corpus pascitur unà & mens reficiatur. Dum comedes, non totus comedas, docet S. Bernardus, sed attendas lectioni: non enim est rationi consonum famulam, id est corpus, delicatè pasci, & Dominam (Animam) esurire. Ideoq; Sanctus Hugo semper aliquid super mensam legii*

curabat, & occurrentem præclaram ſententiam bis térve ſubinde repetendam jubebat, ita ut oculi ſæpius lacrymis dulcibus innatarent, nec ipſum tantùm, verùm etiam aſpicientes piè afficeret. Idem S. Carolus Borromæus, aliiq; quàm plurimi omnis conditionis cum fructu, guſtúque ſingulari præſtiterunt: ſi verò tibi lectionis opportunitas deſit, piis ſaltem, brevibuſq; conſiderationibus aut affectibus animum paſce; nunc ex ſuavitate & efficacia cibi aſcendendo ad Conditorem; nunc mentem elevando ad cœnam nuptiarum Agni, nunc nonnulla ex prædictis ferculis ſpiritualibus deguſtando.

POST MENSAM.

I. *Memor Divinæ liberalitatis gratias age; benefactoribus vivis gratiam, Defunctis requiem precare, alacriuſq; Deo tam in te liberali ſervire ſtatue.*

II. *Sub Martyrologio, (quod apud quoſdam Religioſos ſuper menſam legitur) Deum in Sanctis mirabilem ſuſpice, lauda, magnifica: Sanctis verò gratulare, eorum patrocinio te commenda, imitari eos deſidera, coronámque ſimilem exopta.*

III. De-

III *Demum intimâ devotione, attentione & reverentiâ, gratiarum actionem persolve; & Dei profusam beneficentiam agnoscens, fiducia filiali in sinu paternæ ejus providentiæ conquiesce.*

IV. *Discute breviter quî tempore mensæ te gesseris: si deliqueris, veniam pete, conatum offer, de novo propone, alacriùs consueta exercitia perage, nunquam de cibis conquerere, vilissimis etiam ob peccata tua indignum te judica: nec lautiora animiùm extolle: hæc enim Sacerdotem ad delicias cœlestes anhelantem dedecent.*

HORA XII.

Oratio ad trinum Campanæ pulsum.

I. Christus factus est pro nobis obediens, usque ad mortem, mortem autem Crucis. Ave Maria. II. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Ave Maria. III. Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Ave Maria. Qui passus est pro nobis, misereatur nostri.

Oremus.

DEus qui pro nobis Filium tuum Crucis patibulum subire voluisti, ut inimici à nobis expelleres potestatem; concede nobis famulis tuis, ut resurrectionis gratiam consequamur, Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

RELAXATIO ANIMI.

CVmà mensa statim graves seriósque labores aut studia resumere, sanitati viribúsque corporis & animi non conducat; relaxatio nonnulla adhiberi potest, quæ animis jugiter studiis, precibusq; occupatis, non minùs necessaria sæpe est, quàm cibus corporibus: Ab Aristotele L. 1. Rhet. c. 38. enumerantur hæc: relaxatio, intermissio, ludi, quies. Ordinariè magis convenit quies cum aliquo colloquio jucundè pio, & piè jucundo; & erit relaxatio, honesta, utilis & amœna.

I. Finis Relaxationis.

II. *FInis ad quem recreatio animi dirigenda est nova alacritas & robur ad labores mentis & studia peragenda ad majorem Dei gloriam.* II. *Mutua inflam-*

matio

matio in spiritu; charitatis fraternæ conservatio; in servitio divino lætitia. III. Zeli animarum excitatio, rerum spiritualium major cognitio, & acquisitio habitûs cum proximo colloquia spiritualia miscendi.

II. Materia Colloquii.

REs quæ adducuntur in Colloquium sunt bonæ. I. Quoad substantiam; ut sunt res omnes piæ, cœlestes & divinæ. II. Vel bonæ ex fine, ut sunt adiaphora seu indifferentia, bonâ intentione prolata. III. Et bonæ quoad modum; ut eâ quâ par est cautelâ, modestiâ, reverentiâ, serenitate, moderatione vocis ac corporis totius compositione proferantur. Hujusmodi præcipuè sunt. 1. Mysteria Fidei, beneficia divina, justa Dei judicia, opera naturæ, gratiæ, gloriæ, præmia & supplicia. 2. Exempla varia & specula omnis perfectionis, dicta, facta, cogitata ex vita Christi, B. V. Sanctorum, aliarumq; personarum Illustrium. 3. Media ad triplicem viam perfectionis spectantia, industriæ & praxes vitia exstirpandi, virtutes inserendi, & in omnèi perfectione proficiendi.

III. Me-

III. Media obtinendi loquelam Spiritualem.

PRimum est. Solida rerum divinarum meditatio. II. Multa sacræ scripturæ & librorum asceticorum lectio. III. Sedula in concionibus & lectione mensæ attentio. IV. Crebra doni linguæ spiritualis petitio. V. Solers annotatio, & præparatio ad pia colloquia: si enim Filii hujus seculi adversaria conficiant silvam rerum curiosarum conquirant, ad facundè disertéque de re quavis mundana differendum; quidni Sacerdotes & Religiosi, tanquam Filii lucis, Filiis seculi non cedant in industriis spiritûs & æternæ salutis? VI. Ante omnia verò juvabit intimus ardor rerum spiritualium, & fervens proprii alieniq; profectûs in spiritu desiderium: nam ut Salvator ait: Ex abundantia cordis os loquitur. Matth. 12. *Et hoc quisq; ructat quod bibit: atque ut D. Prosper scribit: Hoc loquuntur quique quod diligunt, & delectabiliter audiunt, quod assiduis cogitationibus volvunt. lib. 3. de vit. contempl. c. 6. VII. Denique plurimum confert continua exercitatio. Fabricando fabri fimus.*

IV. Ex-

IV. Exempla Sanctorum jucundè colloquentium.

SErmo vester, *monet S. Paulus ad Coloss.* 4. *semper in gratia sale sit conditus.* Idest *non sit insulsus & insipidus, sed sapidus & gratiosus, jucundè prudens, & prudenter jucundus. Magister hac in arte excelluit Christus Dominus: quàm amœnais, quàm sancta & divina colloquia cum Matre sua beatissima, & S. Josepho in Nazareth miscuerit? quàm multa & admiranda eis revelaverit? quàm ineffabili sermonis dulcedine eos recreaverit? quàm amabili divinæ charitatis flammâ eos succenderit? Magistrum hunc imitati sancti Discipuli. S. Antonius Abbas maximè gratiosus erat in colloquiis, ut refert Nicephorus: l. 8. c. 40. S. Basilius erat in cœtibus jucundus, festivus in narrando, argutus in jocando, ut scribit S. Gregorius Nazianzenus Orat. 20. n. 95. De Thoma Moro testatur vitæ Scriptor Thomas Stapletonus: ut vir erat prudentiâ suavis, moribus severus, consilio altus; ita quoque erat in vitæ conversatione mirè suavis, lepidus & facetus. S. Ignatius*

vius Lojola, ut narrat Maffeius l. 3. vitæ c. 12. Remissionis causâ de rebus haud ita seriis, molestísve sermones habebat jucundos. Similiter S. Martinus Ep. & alii complures. Hos imitari conare.

V. Quini Fontes dulcedinis & jucunditatis in colloquiis adhibendi.

NUnquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam, quærit S. Jacobus Ep. c. 4. ? In ore hominis id prò dolor! crebrò nimis accidit, dum jam dulcia, Deo, proximoq; grata, iam amara & ingrata depromit. Id verò ne tibi contingat aperi sequentes fontes dulcedinis, amaritudinis claude.

I. *Tractatio rerum spiritualium de cœlo, & cœlestibus; de vita Christi & Sanctorum dulcis est; non quidem mundinis, instar febricitantium, palatum infectum habentibus, quibus hoc mel, amarum videtur absynthium; sed Sacerdotibus piis & Religiosis, qui gustârunt, quàm suavis sit Dominus. De dilectis dulce loqui.*

II. *Varietas delectat, & rerum, & personarum quibuscum sermocinamur. Hinc ne-*

re eandem orambem sæpius recoquas: ne eum iisdem semper agas, ut particularis amicitiæ suspicionem effugias. Neque iisdem de rebus, nec in omni tempore, nec similiter delectamur, inquit Tullius L. 1. Officiorum.

III. Recreat interrogandi, respondendique vicissitudo in colloquio. Unde ne nimium sermonem protrahas, aut concionatorem agas; audi quoque libenter alios. Si allocutiones, quæstiones & responsiones prudentes, & sodalium ingeniis, moribus, studiis accommodatæ sint, jucunditatem admirabilem adferunt.

IV. Delectat quoque in tempore honestarum, religiosorúmque jocorum ac facetiarum prolatio, quæ prudentiâ moderetur & virtus regat; à S. Thoma dicta jucunditas, ab aliis urbanitas, à Græcis Eutrapelia.

V. Exhilarat denique & excitat suo tempore & loco jucunditas à musico concentu orta. Musica latificat cor. Eccli. 40. Præsertim piæ sanctæque cantiones & affectuosæ melodiæ, ad quas hortatur Apostolus ad Ephes. 5. Loquentes vobismet ipsis in

Psal-

psalmis, & hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Deo.

VI. Quini Fontes amaritudinis à Colloquiis proscribendi.

I. *Vitanda in conversatione humana, tetrica morositas, seu rusticitas: quam explicat Aristoteles, inquiens: Qui autem neque ipsi quidquam ridiculi dicunt, neque alios dicentes æquo animo patiuntur, rustici ac duri sunt. Itaque in voce, vultu, gestu, & totius corporis compositione, non inordinata tristitia, sed spiritualis lætitia, non mundana levitas, sed matura gravitas & sacerdotalis modestia resplendeat. Caveant hîc sibi Melancholici, & saltem libenter amœna audiant ab aliis, gaudeántque quod alii lætentur, nec invideant, aut honestam voluptatem ab urbanitate fluentem impediant.*

II. *Cavenda contentio & altercatio, quâ nihil amariùs, utpote quæ omnem sermonis suavitatem corrumpit. Hinc rectè monet S. Ambrosius L. 1. off. c. 22. Absit pertinax in familiari sermone contentio: tollit enim pacem, concordiam, & so-*

cialem

cialem amorem fraternitatis. Vitandi igitur omnes inordinati motus animi, ut impatientiæ, superbiæ, contemptûs aliorum, invidiæ, temerariæ suspicionis, item interpellatio, reprehensio, correctio, extenuatio, &c. Si tamen contrariæ fueris sententiæ, licebit rationes modestè proferre, non victoriæ reportandæ, sed veritatis indagandæ aut illustrandæ amore: licebit etiam discursûs promovendi gratiâ nonnulla opponere. Dic aliquid contra, ut duo simus, dicebat Assentatori in omnibus assentienti Seneca l. 3. de ira.

III. Eliminandæ quoque è recreatione disputationes speculativæ de rebus subtilissimis, sive naturæ, sive artis, sive etiam divinitatis: qui animos studiis fatigatos, amplùs fatigant, & intendunt, quos relaxare oporteret.

IV. Proscribendi ab animi relaxatione sales ac joci illiberales, ironiæ pungentes, ac sarcasmi mordentes: licèt enim per hæc risus excitetur; is tamen qui pungitur loco jucunditatis, amarorem sentit.

V. Denique excludendum quidquid familiare colloquium injucundum reddere

re

repotest sive in factis, sive in dictis. Veluti in factis immodestia, levitas, clamor, cachinnus, singularitas, solitudo. In verbis adulatio, laus propria, narratio propriorum gestorum ad satietatem audientium, scurrilitas, nimis effusa lætitia, nimia in loquendo libertas. Postremò non nimium relaxatio protrahatur, omnium enim rerum satietas est & tædium; sicut in comœdiis, venationibus, sessionibus, ambulationibus ita & in colloquiis.

VII. De aliis recreationibus & Ludis.

LUdus triplex est. I. Totus pendens à fortuna. II. Totus pendens ab industria. III. Mixtus. Lusum tria jucundum reddunt, quies à seriis, propensio ad lusum, & victoriam. Ludus honestus modestusq; nihil peccati scandalive continens, Clericis Religiosisq; denegandus non est: nam sine eo manca, ab omni hominum genere recreatio existimatur.

I. Ludus totus pendens à fortuna est alearum, qui Clericis & Religiosis per varias leges pontificias & synodales prohibitus est.

II.

II. *Ludus totus pendens ab industria & arte est lusus latrunculorum seu scha-chorum: qui cùm caput & ingenium con-tentione studiorum fessum amplius fatiget, à recreatione ablegatur à multis, cum Ca-jetano Card. 22. q. 16 scribente: Lusus quantò magis industriosus, tantò minus quieti rationis sensuum q3 convenit: ideo absolutè loquendo ludus scacchorum pessi-mus est in ordine ad finem ludi.*

III. *Ludus mixtus est, trudiculorum, quibus immensa panno strata globuli ebur-nei per portam trudendo mittuntur: item sphæristerii, pilæ & alii, partim ab indu-stria partim à fortuna pendentes, & mo-tum aliquem corporis adjunctum habentes, ob quem tanquam valetudini tuendæ sa-lutares à Celso Galenoq3 judicantur.*

IV. *Observandæ leges ludi: nec animus nimiùm immergendus: vitanda contentio: imitandusq3 Theodosius Gothorum Rex de quo ludente scribit Sidonius: Patienter exspectat, in bonis jactibus tacet, in malis ridet in neutris irascitur, in utrisque phi-losophatur. l. 2. c. 2. de agric.*

V. *Ad extremum arcendæ à ludis*

choreæ

choreæ & saltus præsertim cum altero sexu quæ vel maximè Clericos, & Religiosos dedecent, nec sine Laicorum scandalo instituuntur. S. Franciscus Salesius in Introductione ad vitam devotam scribit, choreas fungis similes esse, inter quos, qui videntur meliores non hilum valent. Ordinariè enim comitantur vanitas, luxus, inepta latitia, profusio, compotatio, amor, nox periculosi sanè consiliarii, & magistri perversi: hinc, nisi cadere velis in hoc lubrico, memor fragilitatis tuæ toties impugnatæ, utinam invictæ, ista fuge.

HORA I.

Examen Particulare.

PRaclara methodus exstirpandi vitia & virtutes inserendi est Examen particulare à S. P. Ignatio exactè traditum in Libello Exercitiorum; quod non velut generale omnia simul vitia persequitur, sed unum particulare vitium, aut partem illius expugnandam, aut virtutem aliquam acquirendam, aut actionem ordinariam reformandam suscipit: facilius enim hostis vincit, qui successivè, quàm qui omnes simul aggreditur.

Praxis

Praxis Examinis particularis.

I. *Manè post preces matutinas firmiter statue, hoc vitium quod oppugnandum elegisti, & maximè te infestat, omni diligentiâ evitare, eidemq; resistere, & auxilium divinum efflagita.*

II. *Per diem aliquoties, v. g. ad horæ sonum, propositum hoc renova, actum vitio contrarium, aut virturis præfixæ elice: ac quoties impingis, mox dolorem excita, percusso (quod etiam clam aliis præsentibus fieri potest) pectore.*

III. *Post prandium, singulas horas percurrendo examina, quî te medio isto die gesseris, si malè, dole, & meliora propone, lapsuum numerum annota: si benè, gratias age. Sub vesperum rursus examen institue, defectuum, aut actuum virtuosorum numerum in libello ad hoc præparato signa, diem cum die, hebdomadem cum hebdomade confer, profectûs rationes ini, & cura ut numerus defectuum indies decrescat, virtutum verò crescat juxtà adjectas tabellas.*

Tabula Vitiorum extirpandorum.	Tabula Virtutum inserendarum.
Dominica ———	Dominica —
Feria II. ———	Feria II. ——
Feria III. ———	Feria III ——
Feria IV. ———	Feria IV. ———
Feria V. ——	Feria V. ———
Feria VI. ——	Feria VI. ———
Sabbatho. —	Sabbatho. ———

IV. *Materia Examinis* [*ubi maximè molesta, & magis in oculis incurrentia priùs mortificâris*] *dividis*

dividi potest secundùm triplicem viam perfectionis. Pro via purgativa, suscipienda mortificatio omnium sensuum & Passionum. 1. Fuga peccati lethalis. 2. Fuga peccati venialis voluntarii. 3. Mortificatio oculorum. 4. Aurium. 5. Gustûs. 6. Odoratûs. 7. Tactûs. 8. Linguæ & variorum vitiorum eius, mendacii, contemptûs aliorum. 9. Phantasiæ 10. Intellectûs. 11. Appetitûs. 12. Voluntatis propriæ. 13. Superbiæ. 14. Avaritiæ. 15. Vanæ gloriæ. 16. Luxuriæ. 17. Invidiæ. 18. Gulæ. 19. Iræ & impatientiæ. 20. Acediæ. Pro via illuminativa, servit exercitium & acquisitio omnium virtutum, quarum 1. Fides. 2. Spes. 3. Diffidentiæ sui. 4. Fiduciæ in Deum. 5. Iustitia. 6. Religio. 7. Pietas. 8. Obedientia. 9. Gratitudo. 10. Amicitia spiritualis. 11. Humanitas. 12. Affabilitas. 13. Liberalitas. 14. Misericordia. 15. Eleemosyna. 16. Prudentia. 17. Fortitudo. 18. Patientia. 19. Temperantia. 20. Castitas. 21. Mansuetudo. 22. Modestia. 23. Magnanimitas. 24. Humilitas. Pro via Unitiva, in qua intellectus, memoria, voluntas cum Deo unitur. 1. Agnitio propria caecitatis. 2. Desiderium cognitionis & amoris Dei. 3. Cognitio & amor SS. Trinitatis. 4. Æternitatis. 5. Infinitatis. 6. Omnipotentiæ. 7. Sapientiæ. 8. Bonitatis. 9. Immensitatis, Immortalitatis, Veritatis, Fidelitatis, Iustitiæ, Misericordiæ, Liberalitatis, Sanctitatis &c. 10. Cognitio & Amor Incarnationis & Humanitatis Christi. 11. Cognitio & Amor Passionis Christi. 12. Venerabilis Sacramenti. 13. Beneficiorum Divinorum. 14. Amor Dei. 15. Perfectio operum quotidianorum. 16.

Loqui-

Loquela spiritualis. 17. Contemptus omnium terrenorum. 18. Cura exactæ temporis. 19. Operatio ex spiritu. 20. Conformitas cum voluntate Dei. 21. Charitas proximi. 22. Præsentia Dei. 23. Amorosa unio cum Deo. Ex his singula vitia & virtutes in suos gradus & actus dividenda; & unus post alterum vel exstirpandus, vel inserendus.

V. *Conducit valde ob negligentiam, aut defectus commissos nonnullam sibi pœnitentiam injungere, pœnámve infligere, ut hac ratione fortiùs pugnetur, vel animus ad pugnandum excitetur atque adigatur.*

VI. *Quoniam verò sine speciali gratia Dei nec minimum quidem vitium extirpari, aut minimus virtutis actus exerceri, aut gradus infimus acquiri potest, propterea indies sæpius implorandæ divinæ gratiæ, per suspiria preces, operæ pœnitentiæ, Sacramenta, patrocinia Sanctorum in ea virtute, cui studes, excellentium, ac tamdiu uni insistendum, donec ita viceris ut rarissimè cadas; virtutis verò intensum habitum acquisiveris; proinde in facilioribus minùs diu, in difficilioribus diutiùs inhærendum erit.*

Nonne cor nostrum ardens erat in nobis? Luc. 24.

HORA II.

CONVERSATIO SACERDOTALIS.

I. Quibus hæc Conversatio incumbat.

NOn solùm curam animarum gerentes, verùm etiam Sacerdotes simplices cooperari oporteret ad salutem animarum, quod teste S. Chrysostomo, operum omnium divinissimum est: neq; illis occasio & tempus deesse poterit, sive domi, sive foris, præsertim si negotia secularia vitaverint, juxta Apostoli doctrinam 2. Tim. 2. Nemo militans Deo implicat se rebus secularibus. Idem & intelligendum de Religiosis vitæ activæ aut mixtæ ex instituto suo addictis, Concionatoribus, Confessariis, &c.

Si igitur à prandio circa horam primam vel secundam exire & cum proximo conversari vacet & libeat: conversatio hæc instituenda est, non ad tempus, nimis pretiosum, fallendum, sed ad spiritualem proximi utilitatem, & salutem animarum, vel per modum visitationis amicorũ, vel instructionis rudium, vel conversionis Acatholicorum, vel reconciliationis dissi-

dentium, vel consolationis afflictorum, captivorum, infirmorum prævidendo & præmeditando, quâ viâ, quibus discursibus aut mediis intentum fructum spiritualem referas.

II. Qualis esse debeat conversatio Sacerdotalis.

I. *Conversatio sit innocua & sancta, ad animas Deo lucrandas directa; in qua agatur ut plurimùm de rebus spiritualibus vitenturq; detractiones, lasiones charitatis, aliíve linguæ defectus.*

II. *Sit prudens, ut cujuscunque statûs hominibus sermonem prudenter attemperet; nullum verbum imprudens excidat; nec de rebus etiam sacris ad satietatem vel nauseam tractet: sed more S. P. Ignatii, sermonis initia aliis concedat, sibi reservet extrema: & Patris Friderici Spee exemplo, saltem in discessu, si aliàs occasio desit, pium & præmeditatum aculeum non sine fructu alterius cordi infigebat.*

III. *Sit amabilis & grata, quæ animos delectet, devinciat, atque ad fructum referendum disponat.*

IV. *Sit*

IV. *Sit seria & gravis, ut Sacerdotem decet. Inter seculares, nugæ, nugæ sunt; in ore Sacerdotis blasphemia: ait sanctus Bernardus.*

V. *Sit angelica, ut volebat S. P. Ignatius: & quidni, cùm Sacerdos Angelus Domini exercituum sit, in conversatione, familiaritate cum Deo, prudentiâ, sanctitate, affabilitate & benevolentia Angelos imitetur; præsertim in punctis sequentibus.*

1. *Quemadmodum Angeli, quando homines custodiunt & ministrant; non desistunt ab assistentia, sed semper vident faciem Patris qui in cœlis est: ita Sacerdos agens cum proximo, mentem crebrò ad Deum elevet, per puram intentionem ac preces jaculatorias: non enim minùs ignis amoris divini, quàm naturalis identidem ad centrum suum tendere debet.*

2. *Sicut Angeli non nisi jussi & missi à Deo, descendunt ministraturi proximo: ita Sacerdos non exeat ad conversandum, nisi vel per superiores suos, quos Dei loco habet, jussus; vel per inspirationes divinas motus.*

3. *Angeli etiam quando proximo ministrant, nihil de fervore charitatis & visione beatifica deperdunt: Sacerdos ita curet salutem alienam, ut non perdat propriam, nec de perfectione, charitate, aliâve virtute quidquam amittat, nec spiritualia devotionis exercitia consueta omittat.*

4 *Quemadmodum Angeli Custodes hominum commissis sibi clientibus, custodes regnorum suis regnis, civitatum suis civitatibus advigilant, nec alter alterius officio se ingerit: ita Sacerdotes quoque animabus sibi à Deo commissis invigilent, nec alterius officio se immisceant.*

5. *Sicut Angeli aequè diligenter & libenter ministrant vili mendicabulo atque Regi potentissimo: ita verus zelator animarum sine acceptione personarum aequè promptè auxilietur omnibus.*

6. *Quemadmodum Angeli libentius adsunt, juvántque magis solatii & opis indigos, ita strenuus operarius, auxilio, solatio, consilio promptius adest egentioribus, quales sunt parvuli, rudes, pauperes, agri afflicti & similes.*

7. *Veluti Angeli amore Dei succensi,*

simul

simul ardent zelo animarum, omnesq; homines cupiunt ad cœlum perducere, ut rebellium Angelorum ruinas restaurent: Ita Sacerdos Apostolicus desiderat convertere & cœlo inferre quotquot potest: ut suadebat S. Augustinus dicens: Si amatis Deum rapite omnes ad amorem Dei.

8. Angeli Custodes usque ad mortem Clientes non deserunt. Imitetur Zelotes, suisq; adsit usque ad mortem, ad quam pie obeundum eos disponat: nec cesset laborare pro gloria Dei, quamdiu vires suppetunt, donec cum Elia igneo charitatis curru rapiatur in cœlum. Exemplo Christi, suos in finem diligat.

9. Angeli eâdem alacritate & lætitiâ per scalam Jacob ascendunt & descendunt: Sacerdos Apostolicus, eâdem promptitudine per orationem, meditationem, aliasq; spiritûs exercitia ad Deum ascendat, quà ad proximum juvandum descendit.

10. Angeli semper in pace & gaudio degunt, quocunque eventu imperturbabiles, solâ voluntate Divinâ contenti. Observet hoc Sacerdos, si laboribus strenuè impensis fructus non respondeat, de præmio tamen suo certus.

III. Impedimenta zelum retardantia & pericula.

I. *Impedimentum zeli animarum est nimius quietis, solitudinis & orationis amor. Hunc desiderio & amore salutis aliena tempera: cogita tibi, ut Petro, à Domino dici: Petre amas me? pasce oves meas.*

II *Impedimentum est horror difficultatis & laboris: excita te gustu divino & spe præmii: Vnusquisque enim mercedem accipiet secundùm suum laborem.*

III. *Impedimentum diffidentia de gratia vocationis divinæ & nimius ad vires proprias respectus: Dicat Sacerdos cum Apostolo:* Deus operatur velle & perficere: omnia possum in eo, qui me confortat.

IV. *Impedimentum metus morbi, alteriúsve periculi corporalis aut spiritualis. Expendat dictum Christi: Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis: & vita quæ propter charitatem periculo exponitur, per charitatem melius conservatur: novit Deus te protegere in periculis, ut Abraham in Chaldæa, Lothum in Sodoma, &c.*

V. *Impedimentum, laboris sterilitas.*

Sed

Sed excita te meditatione hujus: Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum: reddet autem, non secundùm proventum, sed secundùm laborem uniuscujusque. Planta, inquit S. Bernar. ad Eugen. riga, fer curam, & tuas expleviſti partes: sanè incrementum, ubi voluerit dabit Deus; ubi fortè noluerit, tibi deperibit nihil.

Pericula quoque cavenda duo. Primum, ne zelus in amorem sensualem & vitium gulæ deflectat, & vanæ ex esculentis & poculentis recreationculæ quærantur, quod vile nimis & abjectum est. Alterum ne affectus initio spiritualis paulatim degeneret in carnalem. Sæpe videtur esse charitas, & est magis carnalitas, ait Thomas de Kempis l. 1. c. 15. Hoc periculum graphicè depingit B. Angela de Fulginio, in vita c. 16. Quomodo paulatim amor evadat sensualis crescat, obnubilet, excæcet, ad parva inducat, ac deinde in majora peccata præcipitet.

IV. Motiva zelum excitantia.

1. *EXcita nonnunquam in te flaccessentem zelum consideratione motivorũ æternorum, quorum primum est, gloria maxima Dei, & gaudium quod in conver-*

sione animarum Deo & Angelis creamus. Magna festivitas Deo, humana salus: inquit Origenes, & lucrum Creatoris salus creaturæ, ait S. Hieronymus. Quod si vel unicam animam laboribus tuis damnationi ereptam ad cœlum dirigas; quis capiat, quanta inde Deo gloria accrescat? major sanè, quàm ab omnibus mortalibus in hac vita præcisè Deo parta fuerit: quidquid enim omnes in hac vita præstitêre, finitum est, quod verò anima illa per te adjuta in cœlo præstabit, æternum est: finiti autem ad infinitum nulla est proportio. Taceo quod impedias, æterna, quæ aliàs in Deum evomuisset, maledicta; summóque eam beneficio afficias, dum illam ab incendiis æternis liberas, & æternis in cœlo deliciis, gaudiisq; beas.

II. Motivum alterum est pretiosissimus Jesu Christi Redemptoris nostri sanguis pro anima qualibet effusus. Quantum pretium! inde valorem unius animæ æstima. Hæc est tota animæ dignatio, ait S. Bernardus: etenim valor rerum desumitur ex pretio; hinc animam appellat dignam sanguinis Christi compensationem.

Quis

Quis igitur labor durus videri debeat?

III. *Motivum pulchritudo animæ, de qua dicere solita S. Catharina Senensis: si quis eam videret, si posset, centies in die pro ea mortem oppeteret.*

IV. *Motivum: præter gaudium & lætitiam; complacentiam & Gloriam, quam Majestas divina totâ æternitate in anima ista per te ad cœlum directâ habebit; quanta in te inde per totam æternitatem redundabit lætitia, gloria, exultatio? quas anima illa Deo salutis suæ authori, & tibi velut Dei instrumento æternùm rependet grates?*

V. Praxis Conversationis.

I. *EXiturus ad conversandum ac fructificandum, Spiritûs S. gratiam implora, ut linguam tuam dirigat, verba suggerat, auditores moveat, quò scopum tibi præfixum obtineas. Deinde si zelo animarum & amore Dei æstuaveris, necesse non erit suggerere quid loquaris: nam ex abundantia cordis os loquetur: & cujusq; necessitas spiritualis opportunitatem & ansam dabit, aut instruendi, aut consolandi, aut animandi.*

II. *Si*

II. *Si instructurus sis vel Patremfamilias, vel Matremfamilias, vel Juvenes aut pueros facilè singulis apta documenta inculcabis. v. g. de servandainter Conjuges charitate, pace, patientiâ, curâ domesticorum, amotione scandalorum &c. prolibus verò explicando mysteria fidei, hortando ad timorem Dei, horrorem peccati, honorê Parentum, fugam pravæ Societatis, &c.*

III. *Si consolaturus sis pauperes, afflictos ob damna temporalia, vel mortem charorum. Varia pro consolatione propones.* 1. *Nihil sine voluntate Dei evenire. Omnia à Deo optimo Patre in nostrum bonum ordinari.* 2. *Deum robur daturum, nec passurum nos tentari aut affligi supra vires.* 3. *Exemplum Christi patientis & Sanctorum.* 4. *Præmium æternum pro momentaneatribulatione.* 5. *Tribulationes esse signa prædestinationis.* 6. *Omnia adversa leviora esse inferni tormentis totiesprometitis.* 7. *Nullum in mundo esse absq; cruce.* 8. *Recurrendum ad vulnera Christi, ad B. V. &c.*

IV. *Si exeas curatum morbos spirituales, vitia & peccata. Necesse est* 1. *Mortemo-*

medicorum primò cognoscere morbum, ab infirmo se aperiente. II. More S. Ignatii propriis armis hostem jugula, technis & fraudibus in ipsum conversis. III. Ipsam morborum spiritualium radicem evellere stude. IV. Instar medici mortuum infestiorem è pluribus primò aggredere, deinde minus infestos; sed paulatim, observando tempus opportunum, & nisi necessitas urgeat suaviora potiùs quàm acerba medicamenta adhibendo, qualia sunt. 1. Oratio fervens. 2. Lectio librorum piorum, de Inferno, Judicio, Æternitate. 3. Fiducia in Deum, Passionem Christi, B. V. 4. Crebra Sacramentorum usurpatio. 5. Abstinentia à peccato, primò per unum, deinde duos, deinde plures dies ad honorem SS. Trinitatis, B. V. &c. 6. Propositio pœnarum peccatis debitarum: Exemplorum & historiarum sacrarum.

V. Visitaturus captivos excitate cogitando Christo præstari, quidquid Incarcerato præstiteris: in carcere eram & visitasti me, Matth. 15. Deinde hortare. 1. Ut agnoscat Providentiam divinam circa se, eiq; se submittat, curetur q;, ut

sit

sit in statu gratiæ; ut cum fructu carceris squalorem sustineat. II. Semper captivus sit occupatus, ne diaboli tentationibus irretiatur, proinde vel laboret si potest vel Libros spirituales aptos legat, vel oret rosarium, Litanias, aliáque. III. Muniatur contra tentationes; quarum prima esse solet de molestia inclusionis, propone exempla Sanctorum Martyrum, Religiosorum, & commoda quæ inde oriantur. Secunda ex carceris fœtore, vinculorum duritie; rursus oppone exemplum Christi & Sanctorum, fœtorem inferni, præmium Paradisi. Tertia ex infamiâ: huic iterum occurre exemplo Christi, & SS. Martyrum, nihili faciendam, brevem infamiam apud homines, modò famam bonam æternùm nanciscamur apud Deum. Quarta oritur ex odio eorum qui causa sunt incarcerationis: oppone exemplum Christi orantis pro inimicis: ostende hos fuisse instrumenta divinæ justitiæ, quorum intentio licèt fortè fuerit mala, Dei tamen intentionem fuisse optimam: denique vindictam relinquendam Deo. V. Nascitur ex condemnatione ad mortem: sed exemplo Christi penitus re-

resignet: non mea sed tua voluntas fiat: Magistratus nihil faciet, nisi quod ab æterno decrevit Deus: & præstat nunc benè præparatum obire mortem feliciter, quàm postea fortè improvisò & infeliciter. IV. Ante fatalem sententiam frequenter visitetur, tentationes eximantur, ad Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ disponatur: & ad exhomologesim generalem de tota vita. V. Post latam sententiam induatur ut eam velut de manu Dei suscipiat, gratiasq; agat quod prævisam mortem piè queat obire. VI. Die fatali rursum confiteatur reus, indulgentias lucretur; promittantur sacrificia celebranda pro defuncto. Initu ad supplicium prælegantur pii affectus & orationes. Conspectâ trabe fatali aut loco supplicii, animetur exemplo S. Andreæ. Denique rogetur num quid adhuc conscientiam gravet; num quæ tentatio impugnet: & verbis exquisitis animetur ad ultimam luctam, omnibus ignoscat, actus fidei, spei, charitatis, contritionis, resignationis eliciat, Crucifixum amorosè osculetur & pectori apprimat, atq; inter sacrorum nominum ingeminationem gladium

dium aut laqueum suscipiat. VII. Post mortem à circumstantibus preces pro defuncto petantur, & fiant flexis genibus. Deniq; pro successu felici gratiæ agantur: Cognati invisantur pro solatio, quibus mors pia & christiana recenseatur, precesque pro anima defuncti ab eisdem rogentur.

VI. Visitaturus infirmos, cogita te Christum invisere, dicentem: Infirmus eram & visitastis me. Matth. 25. Ex visitatione hac sæpe dependet æterna salus infirmi: ex ejus neglectu verò damnum mortis infelicis irreparabile: quare libenter & diligenter visita; & sequentia observa. I. In promptu habe exempla, dicta Sanctorum, aliaq; infirmis opportuna; nec non & librum spirittualem, aut precum, ex quo preces aut documenta depromas, vel infirmo legendum relinquas: deinde adsit effigies Crucifixi, nummisma indulgentiarum, reliquiæ Sanctorum, quæ subinde veneranda vel osculanda porrigantur. II. Quò plures sunt quibus propria sanitas tua necessaria est ob curam animarum, eò majorem illius curam gere: hinc cave ne faci-

faciem ori decumbentis nimis propinquè admoveas, halitûmve malignum attrahas, & ne æger lecto aperto, calore venenato te inficiat; neque jejunus facilè accedas, quin saltem quibusdam antidotis contra fœtorem munitus sis, fenestras aperiri aut ex granis juniperi suffitum excitari cures. III. Ad famæ & honori tuo consulendum non facilè cum ægris sequioris sexûs, clausâ jannâ, aut extra aliorum conspectum loquere; sed vel socium adhibe, qui videre te queat, vel saltem cura ne ostium clausum; aut locus obscurus sit; atque tunc colloquium non longius quàm necesse sit, protrahe. IV. Ægrum adituras Spiritûs Sancti opem implora, uti & intercessionem Beatæ Virginis, Sancti Angeli Custodis tui & infirmi: quem, domum ingressus aquâ lustrali asperge: infirmum & adstantes humaniter saluta, quæstiones nonnullas de morbo præmitte; si patientem esse intelligas, infirmum lauda, querelas verò patienter audi &c. V. Instrue infirmum ut officio suo faciat satis. Erga Deum per reconciliationem, resigna-

resignationem fiduciam. Erga Christum per electionem in Magistrum, ac speculum patientiæ, in Consolatorem, Protectorem, Advocatum. Erga B. M. V. & sanctos Patronos per invocationem & imitationem. Erga Medicum & Infirmarium per fiduciam, gratitudinem, obedientiam. Erga visitantes per ædificationem, benevolentia, gratitudinem. Erga seipsum, per tristitiæ & impatientiæ proscriptionem, resignationem, meritorum augendorum curam, tentationũ diabolicarum victoriam, in crucem & passionem Christi fiduciam rerúmque sacrarum usum ad præsidium & solatium. VI. Si mediatibi suppetant cibo potu, aliisq; solatiis corporalibus, pauperis refocilla, aut certè ab aliis Eleemosynam procura, nec minùs spiritualia solatia offer; ut sunt, sacrificia preces, variaq; motiva patientiæ. VII. Ne infirmus otiosis & melancholicis cogitationibus obruatur; suaviter occupetur: cogitationibus de Passione Domini, variis precibus, officiis, litaniis, vel saltem sustiriis, lectionibus spiritualibus, suavibus, piis, sed discretis & opportunis allocutionibus. In-

habitu

situ super infirmum ora, Benedictionem sacerdotalem impertire, & aquâ lustrali asperge. VIII. Si mortis periculum notetur, aut à Medico intelligatur, eo suaviter & prudenter denuntiato, infirmum ad confessionem, Communionem & extremam Unctionem dispone; contra tentationes muni, variósque actus virtutum ac preces in promptu habe. IX. Post susceptam extremam Unctionem Infirmus, si circumstantiæ patiantur, valedicere poterit Conjugi, liberis, amicis & adstantibus: agendo gratias pro beneficiis & obsequiis: offensarum veniam petendo, vicissimque ignoscendo: proles conjugi commendando, quemadmodum Christus Matri Joannem commendavit: proles ad timorem Dei, obedientiam Ecclesiæ, honorem Matris, pacem & salutis curam hortando, animam suam eorum precibus commendando, benedictionem eis dando, ac denique omnibus valedicendo. X. Lucretur Infirmus Indulgentias concessas Sodalibus nomen Jesu & Mariæ in morte invocantibus aut nummisma habentibus: ostende Crucifixi effigiem, tanquam clypeum contra hostes,

& stimulum patientiæ ac fiduciæ. Tradecereum benedictum, quo æger protestetur se mori velle in fide Catholica, & sperare lucem æternam per Christi merita, qui est lux vera: deniq; se esse paratum & instructum, instar Virginis prudentis lampade ardente oleo Charitatis, ad obviandum Sponso cœlesti. XI. Inchoante agone recita, Proficiscere anima Christiana, aliásque preces & affectus, donec exspiret moribundus. XII. Post mortem, ora subvenite Sancti Dei &c. quæ habes in Breviario. Deinde mœstos Amicos consolare, eis vitæ brevitatem, mundi vanitatem, benè morientium felicitatem in memoriam revoca. Ad extremum ad orationes & eleemosynas pro defuncto offerendas hortare; & ipse Sacrificia ac preces promitte; tegq; ad religiosè vivendum & sanctè moriendum excita. Hæc & similia vide prolixè in instructione practica P. Lohner integro libro exposita.

HORA III.

Vesperas & Completorium.

Canta vel recita, juxta praxin manè horâ quintâ præscriptam, subjunge lectionem libri spiritualis.

Lectio

Lectio libri Spiritualis.

LEctio hæc est orationis germana soror, adjutrix & subsidium: est SS. Chrysostomo & Augustino testibus, spiritualis animæ cibus & nutrimentum: hinc eam Timotheo suadet Apostolus: *Attende lectioni.* 1 Tim. 4. *Huic itaque indies statuto tempore semihoram aut saltem quadrantem solidum tribue; atque ut majore eam fructu instituas, sequentia servare satage.*

I. *Lectio hæc ascetica, non sit festina, quemadmodum historias legere consuevimus, sed tarda, distincta, quieta, & attenta: imitandæ gallinæ, quæ hausti aliquot aquæ guttis mox caput in altum erigunt, & in cœlum suspiciunt.*

II. *Dirigenda lectio ad hoc, non ut doctior, sed ut sanctior evadas: non ut discas præcisè, aliósve doceas: sed ut ipsemet in virtutibus proficias. Ita monet S. Bernardus: si ad legendum accedat, non tam quærat scientiam, quàm saporem & gustum voluntatis.*

III. *Non nimis multa uno eodemq; tempore legenda, nec multæ paginæ uná vice percurrendæ: multa enim lectio fatigat; neque tam reficit interiorem animum, quàm frangit, sensúmque & ingenium hebetat, ut docet idem S. Bernardus. Quemadmodum multa cibi, cum modica mastitatione, ingestio, nutritioni obest.*

IV *Legendi sunt libri, ut suadent SS. PP. non difficiles & subtiles, sed faciles, non qui curiosè pascant intellectum, sed qui piè inflamment affectum.*

V. *Denique ad fructum è lectione referendum, multum facit, ante lectionem implorare gratiam*

divi-

divinam & cogitare, sicut in oratione nos loquimur cum Deo, ita in piorum librorum lectione, Deum loqui nobiscum: dicendum igitur ante lectionem cum Samuele: loquere Domine quia audit servus tuus: post tandem gratia agenda pro instructione & lumine; viresque petenda pro lectorum adimpletione.

HORA IV. & V.

Studium, lectio, scriptio, veluti manè ad horam X. expositum est, aliæve occupationes necessariæ aut utiles pro cujusque officio.

HORA VI.

Duabus horis studio impensis, aliquantulum respira, ne nimis diu ad laborem studiorum incumbas. Recitari possunt Rosaria, aliáve parva officia, aut preces pro diversitate anni temporum aut dierum. Nunc lege, nunc ora, nunc cum fervore labora: sic erit hora brevis; sic labor ipse levis.

HORA VII.

A medio septimæ, vel horâ septimâ ad octavam cœna & relaxatio animi nonnulla, juxta praxes ad horam XI. XII. signatas.

HORA VIII.

Recita litanias de omnibus Sanctis: idque tu cum majore dēvotione peragas: prosternete coram sanctissima Trinitate, in cœlesti regno, circumdatâ innumerâ multitudine Angelorum & San-

ac tum illis eandem sub initium supplex adora, pro beneficiis gratias age, pro te, aliis que veniam, gratiam, perseveran tiam, gloriam, unico quasi gemitu exposce: deinde Sanctorum per ordinem patrocinium invoca, ac varia sub Litaniarum finem prote & Ecclesia militante postula, per Christi Domini, B. V & SS. merita.

A I quadrante ad II. examen particulare institue, defectus commissos, aut actus virtutum elicitos in libello ad hoc preparato annota, juxta praxin notatam ad horam I. Deinde pro sequenti die materiam meditationis relege, eámque memoriæ ruditer manda; Denique si tempus supersit lege capitulum è libello Thomæ de Kempis de imitatione Christi, nisi manè à Sacro legeris.

A II. ad III. quadrantem discute conscientiam per examen generale singulas diei horas percurrendo, & loca in quibus versatus es.

Dum Tempus habemus operemur bonum *Ad Galat.*

EXA-

EXAMEN CONSCIENTIÆ
Quinque Puncta complectens.

Punctum I. ad SS. Trinitatem.
Solve Deo grates.

OMnipotens sempiterne Deus, gratias tibi immortales ago, pro beneficiis omnibus, tam à primo vitæ momento, ad hanc usque horam in me collatis, quàm pro aliis deinceps in omni vita mea, totáque æternitate conferendis.

Gratias ago tibi, ô Pater Æterne! ob amorem illum infinitum, quo ab æterno me prosecutus es, tam paternè de me cogitando, & eligendo, statuendo & præstinando; ac in tempore immeritum præ innumeris aliis longè melioribus ex abysso nihili mei extrahendo, atque ad imaginem & similitudinem tuam creando. Præterea mihi donando animam bonam, ingenium docile, memoriam, intellectum & voluntatem, cognitionis & amoris tui capacem: corpus etiam non mancum aut morbidum, non cæcum, non surdum aut mutum; sed integrum & sanum, tot ossibus & nervis compactum, tot potentiis

ac sensibus instructum ad serviendum tibi. Tantam quoque rerum creatarum varietatem mihi offerendo ad sustentationem & recreationem meam, in cœlo, aëre, terrâ, & mari. Angelum denique tutelæ meæ deputando, per quem ab innumeris occultis & apertis, corporis & animæ periculis me liberasti.

Gratias quoque ago tibi, Salvator mi Jesu Christe, ob amorem illum infinitum, quo me prosecutus es, eò usque, ut pro me redimendo, humanâ carne vestiri, in stabulo nasci, tam mira agere, tam dira pati, ac mortem crucis acerbissimam subire volueris: peccatis inquinatum per Pœnitentiæ Sacramentum toties ablueris: esurientem Corpore & Sanguine tuo pretioso toties refeceris; ignoranti tot morum documenta, & virtutum exempla in admirabili vita tua & fidelium servorum tuorum reliqueris.

Gratias pariter ago tibi, ô Sancte Spiritus Paraclete! ob amorem illum infinitum, quo me prosecutus es; quòd scilicet me præ tot aliis, in peccato originali extinctis, de potestate diaboli eripueris; ad

gratiam

gratiam Baptismi & Confirmationis me perduxeris; ex Filio iræ, regni cœlestis hæredem institueris; tot inspirationibus præveneris; Fide, Spe, Charitate, ceterisque donis tuis me condecorâris; ab hæresi præservatum Ecclesiæ tuæ sanctæ aggregâris; atque in ea ad ordinem, & dignitatem Sacerdotalem immerentè elevaveris.

Pro his itaque & aliis, notis ac ignotis summis beneficiis tuis, gratias, quas possum, maximas habeo, ô Sanctissima Trinitas! uti & pro omnibus beneficiis collatis Sacrosanctæ Humanitati Christi Domini, Beatissimæ Virgini Mariæ Matri ejus, S. Angelo Custodi meo, omnibus aliis Angelis & Sanctis, præsertim Patronis meis, omnibus hominibus Christianis, Gentilibus, hæreticis & peccatoribus, omnibus damnatis & dæmonibus, omnibus etiam creaturis ratione carentibus: pro quibus omnia Jesu, Mariæ, & Sanctorum merita offero; atque unicè opto, ut pro singulis hisce beneficiis infinitæ tibi reddantur à me & ab omnibus, gratiarum actiones, adorationes, laudes & benedictiones, per singula momenta temporis & æternitatis. Amen.

Punctum II. ad Deum Patrem.

Pete Lumen.

O Pater luminum! per charitatem tuam æternam erga me, obtestor te, mentis meæ tenebras discute, memoriam renova, intellectum illumina, voluntatem inflamma gratiamq; copiosam largire, omnia peccata mea, dicta, facta, cogitata, omissiones, imperfectiones, & negligentias perfectè cognoscendi, detestandi, deflendi, & confitendi, emendandi, eorumq; occasiones sollicitè præcavendi. Aperi mihi, Domine, oculos animæ, ut videam voluntatis meæ inconstantiam, carnis fragilitatem, propensionem ad malum, infirmitatē ad bonum, pericula mundi, retia diaboli: ut cautè deinceps ambulem, vitam seriò emendem, injuriam tibi illatam reparem, & gloriam tibi ablatam pro viribus compensem.

Punctum III. coram Christo Iudice omniscio, assistente hinc S. Angelo Custode, inde Diabolo accusante.

Discute mentem.

Examina à momento, quo evigilasti, usq; in præsentem horam, quas primas cogitationes evigilans admiseris, quàm alacriter surrexeris, quàm fervent-

ferventer preces matutinas persolveris, quàm exactè examen vespertinum pridie institueris, quæ te gesseris in horis recitandis, in preparatione, celebratione, & gratiarum actione sacrificii: in negotiis, in refectione corporis, in colloquiis, in conversatione cum proximis, in cura animarum tibi commissarum, in mortificatione passionum, in resistentia tentationum, in omissione bonorum operum, in exercitio virtutum in custodia sensuum, in observantia præceptorum & votorum, in fuga & remediis peccatorum &c. Si quid delicti occurrat, dolorem elice: si nihil notabile acciderit, Deo gratias age: atque interea erubesce, quod post tot annos in statu tam sublimi & sancto transactos, post tot meditationes & examina, post toties exhomologeses & sacrificia, aliáque adeò potentia supernaturalia media, tam parùm nihilominùs in spiritu profeceris, tam exiguam vitæ emendationem ostenderis, & fortè nullum adhuc vitium penitus extirpâris, nec ullam solidam virtutem perfectè acquisieris: & cum religiosissimo Thoma Kempensi lib 4. de Imit. cap. 7.

Ingemisce & dole, quod adhuc ita carnalis sis & mundanus, qui mundo & carni deberes esse mortuus utpote in Christi sortem adscriptus. Deplora, inquam, quod sis tam immortificatus à passionibus, tam plenus concupiscentiarum motibus, tam incustoditus in sensibus exterioribus, tam sæpe multis vanis phantasiis implicatus, tam multùm inclinatus ad exteriora, tam negligens ad interiora: tam levis ad risum & dissolutionem: tam durus ad fletum & compunctionem: tam prom-

promptus ad laxiora & carnis commoda, tam segnis ad rigorem & fervorem: tam curiosus ad nova audienda, & pulchra intuenda: tam remissus ad humilia & abjecta amplectenda: tam cupidus ad multa habenda tam parcus ad dandū tam tenax ad retinendum: tam inconsideratus in loquendo: tam incontinens ad tacendum tam incompositus in moribus tā importunus in actibus tam effusus super cibum, tam surdus ad Dei verbum: tam velox ad quietem; tam tardus ad laborem: tam vigilans ad fabulas: tam somnolentus ad vigilias sacras: tam festinus ad finem, tam vagus ad attendendum: tam negligens in horis persolvendis: tam tepidus in celebrando; tam aridus in communicando: tam citò distractus: tam rarò tibi benè collectus: tam subitò commotus ad iram: tam facilis ad alterius displicentiam: tam pronus ad judicandum, tam rigidus ad arguendum. tam lætus ad prospera: tam debilis in adversis: tam sæpe multa bona proponens: & modicam ad effectum perducens. His & aliis defectibus tuis cum dolore & magnâ displicentia propria infirmitatis, perpensis, discussis, & deploratis, firmum statue propositum, vitam tuam emendandi, & in melius proficiendi.

Punctum IV. ad Dei Filium.

Delicti veniam posce.

Dolor de peccatis venialibus.

CONstitutus sum à te, Redemptor amantissime, in eo statu, in quo non solùm propriā salutem & sanctitatem procurā-

curare, sed reliquos quoque Fideles verbo & exemplo instruere, illuminare, & ad salutem & perfectionem perducere deberemsed, eheu! quàm parùm id hactenus præstiti præsertim hodie? quot imperfectiones & negligentias, quot peccata venialia rursus commisi? quæ licèt venialia sint, levia tamen esse non possunt, cùm te Deum O. M. offendant, & pœnis acerbissimis, omnibúsq; mundi tormentis longègravioribus in altera vita expiandasint.

Doleo igitur, ô Jesu dulcissime! quòd tibi, omni omnium creaturarum amore & cultu dignissimo, tantâ hodie negligentiâ serviverim; & pro tot beneficiis tuis tot peccata rependerim. Agnosco & fateor libens miseriam & malitiam meam: nam omni ferè momento diversæ peccandi occasiones & tentationes subtilissimè se insinuant: jam curiositatis & loquacitatis, jam iræ & impatientiæ; jam contentionis & æmulationis; jam sensualitatis & vanitatis; jam distractionis & evagationis, aliarumque innumerarum culparum & imperfectionum: & quoties vel negligenter restiti, vel omnino cessi & victus sum?

Dolor ob pœnas temporales promeritas.

DE his itaque & omnibus aliis totius vitæ meæ peccatis in primis doleo, mi Jesu, quia à justitia tua graves hujus vitæ pœnas promerui; cum Davide pestem, cum Oza subitaneam mortem, cum Ezechia valetudinis, bonorum & vitæ dispendium; in altera verò vita longam cœlestis gloriæ & visionis beatificæ dilationem, atque acerbissima flammarum purgantium incendia & tormenta.

Dolor ob damna spiritualia.

DOleo deinde, Redemptor mi, quòd peccatis hisce tam leviter consentiendo, in graviora labendi periculo me exposuerim: diabolicis insultibus aditum parefecerim; ardorem charitatis imminuerim; intellectum obscurârim; voluntatem indoraverim; gustum & alacritatem in virtutum exercitio sustulerim; meipsum multis gratiæ & gloriæ gradibus; te verò, Deum meum, oblectatione & complacentiâ infinitâ privârim.

Dolor ex motivo amoris.

DOleo denique ex animo, mi Salvator, quia tot tantisque beneficiis tuis me

ingratum exhibui: animam meam, Sponsam tuam, tot peccatorum maculis deformavi; eamque oculis tuis minùs acceptam reddidi: unionem arctiorem cum Divina Bonitate tua impedivi; voluptatulam brevem, vanam gloriolam, lucellum tenue, amore tui, & Bonitati tuæ infinitæ quodammodo prætuli: atque adeo te non ex toto corde super omnia perfectè dilexi: quia partem cordis & amoris mei rei evanidæ cessi; multa tibi summo Bono meo displicentia perperravi; & Majestatem tuam infinitam sæpius offendi. Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere mei: ego enim ex intimo corde doleo, quòd te summum & unicum Bonum meum vel in minimo offenderim.

Dolor de peccatis mortalibus.

Si die aliquo peccatum lethale admiseris (quod Deus avertat: hoc enim in Sacerdote, aut Religioso horrendū & abominabile monstrum foret) sequentem contritionis actum, singula expendendo, quàm ferventissimè elice.

Dolor ob dedecus & infamiam contractā.

ECce, mi Jesu, Ego N. sum ingratissima illa creatura, tot beneficiis à te ornata, tanto sanguinis profluvio redempta, atq;

exaltata : & ego tamen, verè servus nequam, & rebellis, pro bono malum reddidi, & nefandis sceleribus Bonitatem tuam infinitam graviter offendi. Christianus sum, in Baptismo sub Crucis vexillo adscriptus, Mundo, Carni & Diabolo abrenunciavi; sed verbis non steti, fidem fregi, te Ducem optimum deserui, atq; iterum ad Diaboli castra turpiter transfugi. O quàm me pudet! Ego Sacerdos sum, personam tuam sustinens, & vestimenta gerens: at eheu! personâ tam nobili depositâ, vilissimi mancipii, ac Sacrificuli Dæmonis larvam malitiosè assumpsi. O quàm me pœnitet! Templum Christi sum, & Sacrarium Spiritûs sancti toties à te mundatum, visitatum, possessum: & ego hoc gratissimo Hospite ac Domino ejecto, illud in cloacam Veneris ac in venenatam draconum & bufonum infernalium speluncam converti. O quàm doleo! quàm erubesco!

Dolor ob amissum Cœlum.

COeleste Palatium, æternum Dei Regnum, Angelorum contubernium, Sanctorum omnium consortium, voluptatis

pratis Paradisum, visionis beatificæ gaudium, æternam Deitatis fruitionem & possessionem, Coronam gloriæ immarcessibilem, bravium, jubilum, solatium, vitam interminabilem. pro re nihili, pro quisquiliis momentaneis, pro pomo putrido, stolidi instar pueri, vendidi & amisi. O quàm doleo!

Dolor ob Infernum promeritum.

PRô quanta amentia! pro gutta mellis immensum fellis tartarei oceanum acquisivi: pro brevi honore, æternum dedecus: pro levi voluptate, æternum tristitiæ aculeum: pro vili lente æternam famem & sitim: pro re nullius momenti æternas tenebras, æternos fœtores, conscientiæ vermes immortales, torrentes flammarum inextinguibiles: nunquam desitura Dæmonum tormenta, nunquam cessatura damnatorum flagella & incendia; deniq; damnationem, maledictionem, ac desperationem nunquam terminandam. O quæ cœcitas! quæ vesania! à Deo Creatore & Salvatore meo, protervè me averti, & ad fallacem boni apparentis umbram me converti: ideoq; dignissimus

sum, ô Deus! ut & in hac vita & in altera; tam in judicio particulari, quàm universali avertas faciem tuam à me, & in æternum projicias me à facie tua, atque in horrendam abyssum infernalem me præcipites. O quàm doleo!

Dolor ex motivo Charitatis.

SEd vel maximè doleo, Deus meus, & millies magis dolere desidero, ex gratuito amore tui: quia scilicet offendi te, quia læsi & contristavi te summum & infinitum Bonum meum; quem nunc ex toto corde super omnia diligo; ideoque peccata mea super omnia mala summè detestor. Peccavi in cœlum & coram te, Servator mi: peccavi in omnipotentiam tuam quæ me creavit; peccavi in sapientiam tuam, quæ me peccantem aspexit; peccavi in Bonitatem tuam, quæ me sic ab æterno dilexit: peccavi in misericordiam tuam, quæ toties mihi pepercit: peccavi in Justitiam tuam, quæ supplicia æterna intentavit. O quàm doleo purè amore tui! peccavi non solùm contra Divinitatem, sed & contra Humanitatem tuam, mi Redemptor; contra vulnera &

tot-

tormenta tua, contra sanguinem & passionem tuam; contra crucem & mortem tuam; quæ omnia contempsi, sprevi, conculcavi; & quodammodo ostentui habui; ac quantum in me fuit, iterum te, Filium Dei, in memetipso crucifixi. O furor! ô diabolica rabies! Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, etiam sanguinearum, quibus lugeam & defleam inexplicabilem malitiam meam? ah! miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam; & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam: & propitius esto mihi maximo, ingratissimo & scelestissimo peccatori!

Punctum V. ad Spiritum sanctum. Malumq; fuga.

O Patris & Filii Amor æterne Spiritus S., amo te ex toto corde meo, & in contestationem hujus erga te amoris, firmissimè statuo, cum gratia tua, peccata mea emendare, viam mandatorum tuorum alacriùs currere, secundùm sublimitatem status mei, perfectiùs tibi in posterum servire; ac subditos mihi commissos melius in-

instruere, & ad salutem æternam dirigere. Propono firmiter & efficaciter decerno contra omnia peccata strenuè pugnare, præsertim contra hoc N. N. Pravos Socios declinare; inimicis offensam remittere: quascunq; etiam minimas scandali ansas removere; omnes peccandi occasiones evitare: media hæc N. N. adhibere; hanc mihi pœnam; jejunium, orationem vel eleemosynam, in veræ pœnitentiæ signum injungere. Atq; ita seriò hæc decerno, ut potius omnia damna subire, tormenta diriſſima sustinere, sanguinem profundere, & vitam ipsam amittere millies malim, quàm delicta hæc denuò in conspectu Dei mei, & in ejusdem despectum perpetrare.

Sed unde mihi tam labili & inconstanti vires hæc proposita exequendi? velle quidem adjacet mihi, perficere autē non invenio. Ad te igitur, ô divine Spiritus! supplex confugio: tu unica spes & robur animæ meæ; omnia possum in te, si tu me confortes. conforta me igitur & corrobora, ô Spiritus fortitudinis! auge fidem, confirma spem, accende charitatem:

tem: & qui dedisti velle, da & perficere per Christum Dominum nostrum. Amẽ.

Subjungi possunt quinque Pater & Ave, tam pro delictis illo die admissis, & indulgentiis lucrãdis, tum pro conversione peccatorum & salvatione fidelium defunctorum, aut pro quo dari tu cuius alibi inscriptus es. Quadrante ante nonam, diem claude sequentibus punctis.

Praxis se Deo, Divisque sub noctem piè commendandi.

Oratio I. ad Deum Patrem.

MAne nobiscum, Domine, quoniam advesperascit; custodi me ut pupillam oculi, & sub umbra alarum tuarum protege me, ne unquam obdormiam in morte, & gratiâ tuâ excidam. Credo in te, ô infallibilis Veritas! Spero in te, ô æterna nostra Beatitas! Amo te ô summa & infinita Bonitas; atq; ab omnibus purissimè & perfectissimè in æternum te amari desidero! quidquid hodie in toto terrarum orbe peractum est boni, id cum Filii tui meritis tibi offero; utinam millies illud augere & multiplicare potuissem. Quidquid verò commissum est mali; utinam vel sanguinis profusione impedire licuisset. Quidquid etiam hac nocte efficietur

cietur boni [præsertim à Sacerdotibus & religiosis Famulis tuis laudes tuas psallentibus & sacrificantibus] illud millies angere & multiplicare exopto: quidquid verò ab omnibus peccatoribus patrabitur mali, idipsum vel morte mea arcere desidero. Salva nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, & requiescamus in pace. Amen.

Oratio I I. *ad Christum Dei Filium.*

O Salvator amantissime! in benedictas manus tuas & in sacrosancta vulnera tua me, meos, & omnia mea hac nocte commendo; vota mea & tibi serviendi proposita, ac pia te quovis modo glorificandi desideria, unquam à me elicita nunc renovo; de peccatis hodie, totaque vitâ commissis ex puro amore tui summè doleo, & veniam ac remissionem humillimè flagito. Dignare, Domine Jesu, cum Patre & sancto Spiritu benignè suscipere, & infinitâ pietate tuâ supplere imperfectum hodiernum servituris meæ obsequium; ad maximam gloriam tuam, in gratiarum actionem omnium beneficiorum, in satisfactionem omnium peccatorum,

pro

pro omnibus, pro quibus illud hodie obtuli, ad impetrandum defunctis requiem, vivis gratiam tibi perfectè placendi in tempore & æternitate. Amen.

Oratio III. *ad Spiritum sanctum.*

O Divine Spiritus! in sinum suavissimæ Providentiæ tuæ, me, meosque, ac mundum universum proregendos, gubernandos & conservandos hac nocte & in hora mortis committo. O Spiritus puritatis! omnia prava phantasmata, & vitiorum irritamenta, contra voluntatem meam esse ac fore protestor: dignare nos sub alas paternæ protectionis tuæ suscipere, ab omni malo custodire, tuæq; sanctissimæ voluntati semper & in omnibus conformare; ut in te vivere, in te mori, in te centro nostro æternum quiescere mereamur. Qui cum Patre & Filio vivis & regnas in secula seculorum. Amen.

Oratio IV. *ad B. V. Mariam.*

O Amabilissima Mater, gloriosissima Dei Genitrix & Virgo Maria! permitte me obsecro sub cœlestis pallii tui umbra latere & sub protectione tua hâc nocte securè requiescere; tu enim es, eris q; sem-

semper Mater mea gratiosissima unicè colenda, amanda, glorificanda: sim ego quoque servus tuus & filius peculiarissimus. Monstra te esse Matrem nunc, semper, æternùm: ô clemens! ô pia! ô dulcis Virgo Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & mortis horâ suscipe.

Oratio V. ad S. Angelum Custodem.

O Amantissime Angele Dei, & fidelissime Custos! qui me dormiente vigilas, & totâ nocte mihi assistere non gravaris: advigila, obsecro, ad me, totamque domum hanc, & adversa omnia, ac Dæmonis insidias ab ea repelle. Dignare insuper loco mei sine intermissione sanctissimam Trinitatem laudare, & cras statuto tempore me excitare, ut captatâ tantisper quiete, labores pro Dei gloriâ alacriùs resumere valeam.

Oratio VI.

O Sancti Tutelares & Patroni mei, S. Joannes Baptista, S. Josephe, S. Petre, S. Paule, S. Joannes Evangelista, S. Ignati, S. F. Xaveri, S. Maria Magdalena, S. Catharina, S. Barbara, S. Theresia, cum

anni

anni & mensis hujus Patronis, ceterisq; Electis Dei dilectissimis; obsecro vos, me quiescente, supplete vices fragilitatis meæ in benedicendo, laudando & superexaltando Domino Deo nostro, misericordias ejus hac nocte & in æternum cantantes; gratiamq; impetrate, in gratia ejus vivendi, quiescendi, moriendi, & gloriâ ejusdem æternùm perfruendi, Amen.

Petitio Benedictionis.

Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.

Praxis honestè pieq; eundi cubitum

Cubiculum ingressus, te lectumq; aquâ lustrali asperge, memorq; Dei & Angeli tui præsentis, dum decenter & verecundè vestes exuis, recita psalmum Miserere & De profundis, pro defunctis vel nocte ista exspiraturis, aut si placet, sequentes oratiunculas.

Suspirium 1. *ad Deum Patrem.*

Domine Deus, Pater cœlestis, qui Adamo post lapsum, tunicam feciſti pelliceam; exue me veterem hominem & pretiosâ gratiæ tuæ tunicâ me indue; quò omnium terrenorum affectum sic exuam, ut nudus nudum JESUM filium tuum sequar in via exilii, & consequar in patria Paradisi. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen. *Suspi-*

Suspirium II. ad Deum Filium.

DOmine Jesu Christe, cœlestis Nuc, amore nostri inebriate, & vestibus in passione tua spoliate, in pœnam nostræ impudentiæ: per hunc amorem & ruborem tuum supplico, sic gratiæ veste me contege, ut non incidam in confusionem æternam. Amen.

Suspirium III ad Spiritum Sanctum.

SPiritus sancte Deus, vestis gratiæ contextor & artifex: quomodo erubescam dum anima mea virtutibus nuda sistetur Judici? Indue me nunc obsecro togâ polymitâ & variegatâ donorum tuorum, ut tunc non appareat confusio nuditatis meæ. Per Christum Dominum nostrum.

Post hæc ad lectum velut ad lethum, ad somnum velut ad fratrem mortis te compara. Lectū intrans: dic cum piissimo Ioanne Bergmanno: Ecce fortassis sepulchrum ingredior, vita incertus, nec crastinum certè mihi polliceri ausus. Deinde lateri dextero incumbens, involutis decenter induso genibus, & decussatis ante pectus brachiis, somnum operire dicens: In pace cum Deo & hominibus in id ipsum dormiam & requiescam: In manus tuas Domine commendo spiritum meum: cum desiderio intimo toties Deum Cherubicè laudandi, & seraphicè amandi, quoties per noctem corporis arteria salient.

INDEX

INDEX
Horologii Sacerdotalis.

Praxis ordinaria operà benè peragendi, pag. 17.
Praxis eadem opera perfectissimè obeundi 20.
Praxis aspirationum seu precum jaculatoriarũ 32.
Praxis piè surgendi manè, pag. 39.
Praxis persolvendi preces matutinas, pag. 42.
Praxis formandi intentionem. pag. 47
Praxis meditandi, pag. 54
Praxis eadem exemplo declarata in meditatione de potestate, dignitate, & sanctitate sacerdotali, 59. & seqq.
Praxis triplici modo orandi, pag. 71. & seqq.
Praxis orandi ad horæ sonum, pag. 78
Praxis devotè psallendi vel recitandi horas. p. 81
Praxis orandi ad trinum campanæ pulsum manè pag. 103. meridie pag. 457. vesperi.
Praxis peccata ritè confitendi pag. 105
Praxis excitandi dolorẽ de peccatis venialib. 115
Praxis excitandi Contritionem de peccatis mortalibus, pag. 123
Praxis eadem exemplo declarata in Petro, Filio prodigo, Magdalena, Davide, 136 & seqq.
Praxis resistendi tentationib. præcipuè carnal. 149
Praxis præparationis remotæ ad sacrificium Missæ. pag. 153
Praxis præparationis propinquæ ad sacrificium Missæ, pag. 154
Praxis offerendi quadruplex Missæ sacrificium latreuticum, Eucharisticum, Propitiatorium & Impetratorium 159. & seqq.
Praxis faciendi Memento, 172
Praxis præparandi se ad sacrificium Missæ tempore Adventûs, & gratiarũ actio post sacrum. 178

Praxis præparandi se ad sacrificium Missæ tempore Nativitatis, & gratiarum actio. 201 *& seq.*
Praxis se præparandi ad sacrificium tempore Quadragesimæ: & gratiarum actio 222
Praxis præparandi se ad sacrificium tempore Paschali: & gratiarum actio, 255
Praxis præparandi se ad sacrificium tempore Pentecostes: & gratiarum actio, 283
Praxis præparandi se ad sacrificium Missæ à festo SS. Trinitatis ad Adventum, 333
Praxis præparandi se ad sacrificium pro festis B. M. V. & gratiarum actio, 383
Praxis varia devotè audiendi sacrum, 393
Praxis varia visitandi interdiu V. Sacram, 402
Praxis salutandi septies per diem B. V. M. 407
Praxis fructuosè audiendi verbum Dei, 419
Praxis fructuosè concionandi, 421
Praxis seu monita nonnulla, pro administratione Sacramenti Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Extremæ unctionis, Matrimonii 425
Praxis excipiendi Confessiones. 428
Praxis studendi, 438. *& seqq.*
Praxis sobriè & piè prandendi & cœnandi, 449
Praxis animum relaxandi post mensam,
Praxis instituendi examen particulare, 479
Praxis conversationis Sacerdotalis 483
Praxis visitationis captivorum, 493
Praxis visitationis infirmorum, 496
Praxis legendi librum spiritualem 501
Praxis examinis generalis sub vesperum, 505
Praxis se Deo, Divisq; sub noctem piè commendandi, 519
Praxis honestè pieq; cubitum eundi. 525

FINIS.

P.

P

Horologi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

P.

Dirckinck

Horolog:
Sacerdot:

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN